Viro illustrissimo,
Canonico Andreae de Jorio,
uti se commendet
Scriptor.

ARTIFICVM
LIBERAE GRAECIAE TEMPORA.

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA LEGITIME IMPETRANDOS

UNA CUM ADIECTIS SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XX. M. MARTII HORA X

PUBLICE DEFENDET

HENRICUS BRUNN

SEMINARII REGII PHILOLOGICI IN EADEM UNIVERSITATE NUPER SODALIS SENIOR.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

HENRICUS KEIL
CAROLUS PRIEN
IOSEPHUS REISACKER

SEMINARII PHILOLOGICI SODALES ORDINARII.



BONNAE,

LITTERIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXXXXIII.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

FRID. TH. WELCKERO

FRIDERICO RITSCHELIO

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

TESTIFICANDAE PIETATIS CAUSA

D.

DISCIPULUS.

PRAEFATIO.

Specimen ubi erat edendum studiorum meorum, placuit eligere materiam, in qua pertractanda non minor esset philologiae pars quam archaeologiae quae dicitur. Quamquam enim in antiquae artis historia elaborare propositum sit mihi, non tamen potui non assentiri Fr. Ritschelio, praeceptori dilectissimo, qui sine philologiae lumine caecutire archaeologiam suo iure contendit. Cui consilio aptissimae videbantur de artificum temporibus quae sunt quaestiones difficillimae quidem, sed in quibus etiam post fructuosissima virorum doctorum studia de fructu haud contemnendo non desperandum esse periculo facto cognovi. Videbantur enim multa certius constitui posse, partim singulis testimoniis diligentius quam adhuc factum est examinatis, partim collatis inter se omnium vitis, in quo permultum videbatur relictum esse criticae arti. Sed cum omnium artificum tempora uno quasi impetu

absolvere et vires superaret meas et temporum angustias, in Alexandri aetate subsistere statui omissis praeterea pictoribus, quorum cum continua series Alexandri aetatem superaret, in aliud differre tempus et in aliam relegare commentationem eorum tempora placuit. In iis autem quae pertractavi, ita sum versatus, ut omitterem quae ab aliis iam sunt antea recte constituta, ita ut, si taceo, e silentio possis concludere me cum Sillig io consentire, cuius catalogum mihi quoque fundamento esse volui. Praeterea Thierschii epochas (edit. alt.) et Muelleri de Phidia commentationem semper ad manus mihi fuisse profitendum est. Ad quos cum omnis fere disputatio mea recurrat, ut sine illis omnino intelligi non possit, ipse saepe ut brevior esse possem, omisi disertius exponere quae ex iis cognosci possent. Quod ne indiligentior videar monitum volo.

Bonnae, ipsis Calend. Mart. MDCCCXXXXIII.

Tempora describere cui propositum est cum non possit ad fabularum aetatem descendere, apparet ab harum commentationum fine alienum esse de iis exponere artificibus, quibus ab arte artisque generibus nomina sunt imposita, quorum nominibus non singulos artifices, sed artificum artiumque genera quaedam significasse antiquissimam famam, dudum viderunt viri docti. In quorum numero esse D a e d a l u m, E u c h i r e m, alios cum constet inter omnes, iis adiecit Welckerus 1) T h e r i c l e m (Mus. Rhen. VI, 1838 p. 404 sqq.), fictum esse nomen a thericleis poculis, ornatis animalium figuris ita demonstrans, ut de hoc iam dubitandum non sit. Deinde in Schornii diar. art. 1830, n. 49 et 50. 2) E n d o e i artificis nomini similem subesse significationem e Pausaniae verbis concludit, quae sunt VII, 5, 4: *τοῦτο Ἐνδοίου τέχνην καὶ ἄλλοις ἐτεκμαιρόμεθα εἶναι καὶ ἐς τὴν ἐργασίαν ὁρῶντες ἔ ν δ ο ν τοῦ ἀγάλματος, καὶ οὐχ ἥκιστα ἐπὶ ταῖς Χάρισί τε καὶ Ὥραις, αἳ πρὶν ἐσελθεῖν* (in statuam) *ἑστήκασιν ἐν ὑπαίθρῳ λίθου λευκοῦ.* Testem enim esse Pausaniam a propria quadam interioris statuarum partis structura, *τῆς ἔνδον ἐργασίας Ἐνδοίου*, nomen esse factum. Quod autem idem Pausanias I, 26, 5 a Callia dicatam esse tradat Minervae statuam ab Endoeo factam, id ita esse explicandum, ut posteriore tempore una cum artificis ficti nomine dedicantis quoque alicuius ficti nomen sit additum *). In quibus quamquam

*) Talium inscriptionum rationem ut explicaret, exemplum attulit equi Durii qui dicebatur Athenis hanc: *Χαιρέδημος Εὐαγγέλου ἐκ*

recte statuisse de Endoei nomine Welckerus videtur, de Callia tamen non audeo certius iudicare. Tantum quidem absum, ut Thierschii (p. 47 et 124) sententiam probem de Callia Phaenippi filio cogitantis, ut iam antequam Welckeri legissem dissertationem, dubitarem, cum et de priore et de posteriore quodam Callia cogitare liceat. Sed movet me inscriptio Attica, non quidem integra, sed in qua praeter Endoei artificis nomen agnoscantur verba: *ΑΝΕΘΕΚΕΘΑΝΟΣΑΝ*, ut de inscriptione posterius addita cogitare non audeam. Sed malo in incerto rem relinquere, cui testimoniis potius quam coniecturis opus est.

Placet igitur ab his fabularum tenebris transire ad quaestionem cum fructuosiorem tum difficillimam, quae est:

De antiquissimis artificibus Samiis.

1. In omni autem huius quaestionis difficultate cognoscenda ut oculi succurrant menti, habeas stemmata horum artificum, alterum quale proposuit Thierschius p. 183 (quod probarunt Silligius et Rossius Archaeologiae quae prodiit Athenis 1841, §. 78), alterum quale O. Muellerus significans potius quam demonstrans quid sentiat, (Archaeol. §. 69; alio enim loco accuratius eum id exposuisse non potui invenire) quod ipsum argumentis accuratius expositis probare conabor:

Κολλῆς ἀνέθηκε (Schol. Arist. av. 1128), tria haec nomina certa significatione posita esse censens. Mirum certe, quartum quoque quod postea in ipsa inscriptione Athenis inventum est nomen Strongylionis artificis (Schoell. in diar. art. 1840, 75) talem explicationem admittere, ut sit eius, qui opera facit rotunda. Quae inscriptio cum litteris sit perscripta antiquis, ut iste confirmetur, quod scholiasta putat, ad equum quod erat in acropoli respicere Aristophanem in avibus, quae acta est Ol. 91, 2, vix videtur cogitari posse de Strongylione Praxitelis aequali.

I. Thierschii	II. Muelleri
Rhoecus	Rhoecus
|	|
Theodorus Telecles	Theodorus Telecles
⋮	|
Telecles	
|	
Theodorus	Theodorus

In quibus turbis certum est: duos fuisse Theodoros, alterum Rhoeci, alterum Teleclis filium, testibus de Rhoeci filio Diodoro I, 98; Diogene Laert. II. s. 104, quocum ad verbum paene consentit, qui patris quidem nomen omittit Hesychius Miles. de viris illust. v. Θεόδωρος; de Teleclis filio Herodoto III, 41; Tzetza Chiliad. VIII, 121, 212. Pausanias errore Teleclis filium nominat qui est Rhoeci filius, Teleclis frater secundum Diodorum. Porro constat, Theodorum Teleclis filium artem exercuisse inter Ol. 55 et 58, quippe qui Croeso ab Ol. 55, 1 regnanti crateram faceret Delphos dedicatam ante templi incendium, Ol. 58, 1. (Herod. I, 51. Paus. X, 5, 5.) Sed iam de altero Theodoro litem movet Plinius his verbis (XXXV, 12, 152): *Sunt qui in Samo primos omnium plasticen invenisse Rhoecum et Theodorum tradant, multo ante Bacchiadas Corintho pulsos*, unde Thierschius et qui eum secuti sunt, ad Olympiadum initium referre volunt hos artifices, ob eamque causam Teleclem Theodori fratrem diversum esse a Theodori II patre statuunt. Diligenter igitur examinemus ratiocinationes Plinii. *Plasticen invenisse* dicit hos artifices aperto errore, quem notavit Welckerus ad Philostr. p. 196. Sed genuit error errorem; cum enim ita pergat, ut Euchira et Eugrammum, qui comitati sint Demaratum Bacchiadam profugum, in Italiam transtulisse plasticen dicat, apparet ex hac artificum fuga Plinium conclusisse, ante hos *plastas* vixisse, qui invenissent plasticen: Rhoecum et Theodorum.

2. Plinii igitur ratiocinatio cum nos movere non possit, quaerenda sunt alia argumenta, quibus utamur in tempore constituendo si non certissima, tamen probabilia. Quare digrediamur ad aliam rem et quae ne per se quidem aliena sit ab his commentationibus, ad Ephesii Dianae templi historiam. Narrat enim Diog. Laërt. l. l. et iisdem fere verbis Hesych. Miles. l. l. (rem non addito nomine Plinius XXXVI, 14, 95) Theodori I consilio ob solum palustre fundamenta illius templi carbonibus calcatis esse substrata. Atque de quo templo id intelligendum sit, dubitare vix licet. Nemo enim cogitabit de ἱερῷ, quod a Coreso indigena et Epheso conditum est, ἱδρύθη, antiquissimis fabularum temporibus (Paus. VII, 2, 4), nec de eo quod post Herostratum sub Alexandri tempus non aedificabatur, sed restituebatur (Strab. XIIII, 640. Plin. XVI, 79.) Restat igitur unum illud a Chersiphrone inchoatum, (Plin. VII, 37, 38. Vitruv. VII. praef. §. 16. coll. 12. Strab. l. l.) quod Plinius a tota Asia aedificatum esse refert. Quod cum per se non verisimile videatur (quinam enim erat inter Asiae populos nexus?), verum nos docet Dionysius Hal. IIII, 25, qui ab Ionibus Asiae templum aedificatum dicit toti genti commune sacrum. Quae de ea re apud Livium I, 45 sunt, non curanda videntur, cum omnis orationis nexus doceat e Dionysio ipso aut ex eodem fonte eum hausisse, unde Plinius quoque sua videtur sumpsisse. Quod vero Herodoti testimonio (I, 92) certum est, columnas eius templi plurimas exstructas esse a Croeso, id ita est explicandum, ut templum inchoatum tantum ab Ionibus statuamus ante bella cum Croeso gesta, e quibus cum ille victor evaderet, bellis intermissum opus denuo suscepisse victorem divitiis pollentem. Sed tamen hinc de operis initio nil concludi posset, nisi sciremus primum institutum esse templum a Chersiphrone Gnossio, epistylia columnis imposita esse (non ante Croesum) a filio eius Metagene (Vitr. X, 2, 12 Schneid.), unde consequitur esse opus vix tot ante Croesum annis inchoatum, quot a patre distet filius, i. e. sub Ol. 50.

3. Commode hoc loco ea commemorantur, quae dicenda sunt de Demetrio deque Paeonio Ephesio, qui perfecerunt Ephesium templum [Vitruv. VII. praef. §. 16.: falso Rossius arch. §. 130, 1 ex hoc Paeonio duos efficit: alius et qui tertius inserendus est catalogo artificum, a Vitruvio X, 2, 13, 14 memoratus architectus *nostra memoria*.], et de Daphnide Milesio, qui cum Paeonio Milesium Apollinis templum instituit (ibid.). E Plinii enim verbis (XXXVI, 14, 95) qualia sunt in omnibus fere codicibus, templum *Ephesiae Dianae ducentis viginti annis factum a tota Asia.* Quibus circiter ad Ol. 105 deferamur, quo tempore deflagratum templum nondum erat restitutum. Quare examinemus alteram scripturam *centum viginti annis*, quam invenit in codicibus suis Salmasius, in Bambergensi et Monacensi L. de Ian, ut disertis verbis dicit in appendice editionis Silligianae (p. 451: CXX annis); quod enim in diario art. 1833, 50, ubi de alia quadam scriptura agebat, ducentis in codicibus esse scribit, negligentia videtur factum esse. Iam apud Strabonem XIIII, 634 haec sunt: *τὸ μαντεῖον τοῦ Διδυμέως Ἀπόλλωνος . . . . ἐνεπρήσθη ὑπὸ Ξέρξου, καθάπερ καὶ τὰ ἄλλα ἱερὰ πλὴν τοῦ ἐν Ἐφέσῳ . . . Ὕστερον δ' οἱ Μιλήσιοι μέγιστον νέων τῶν πάντων κατεσκεύασαν*, unde corrigendus est O. Muellerus arch. §. 109, 15, post Ol. 71, i. e. post prius incendium hoc templum aedificatum esse censens. Maximam autem huius oraculi auctoritatem si reputamus, probabile videtur, restitutum esse statim post Persarum iugum a Graecis Asiae civitatibus excussum, quod factum est paulo post Scyrum a Cimone captam: Ol. 78, 3. Diod. XI, 60. Ad idem autem tempus ducimur CXX illis Plinii annis, ita ut Ephesium templum perfectum sit aut statim post liberatos Graecos, aut sub ipso Xerxis imperio, cuius magna videtur fuisse huius templi verecundia.

4. Olympiadi igitur 50 assignandus est Theodorus Rhoeci filius, fundamenta templi a Chersiphrone inchoati carbonibus substrui iubens, cum in alio templo id factum esse ut statuamus,

testimonia desint, de hoc affirmet Plinius licet non addito Theodori nomine. Quibus omnibus efficitur, ut reiecto Thierschii stemmate Muellero assentiamur unum tantum Teleclem et Theodori I fratrem et II patrem statuenti; unde, ut hoc statim addatur, H e r a e u m S a m i u m sub Ol. 40 a Rhoeco esse aedificatum (Herod. III, 60) concludere licet; cui tempori non repugnat, quod circa Ol. 37 crateram dedicatam esse in Heraeum Herod. IIII, 152 refert, si tenemus a templo diversum esse τὸ ἱερὸν, illud quidem antiquissimum. — Contra hoc serius quod constituimus horum artificum tempus e temporum computatione, nil valere posse quae praeterea de iis narrantur, breviter significare satis habeo. Quod enim cum Smilide coniunguntur Rhoecus et Theodorus a Plinio XXXVI, 13, 90, id de artis indole, de antiquissima artis Samiacae disciplina intelligo, cuius erat princeps Smilis eodem modo, quo Daedali nomen apud Atticos et Cretenses artifices saepissime recurrit. Deinde de inventis eorum quae referuntur (Plin. VII, 56), iam demonstravit Thierschius p. 202, talia fere omnia de perfectione, non de inventione esse intelligenda. Quare quod dicuntur invenisse aeris fundendi artem, id ita fortasse intelligendum est, ut primi funderent statuas cavas, antea solidas (massiv), quo invento plurimam cepit ars utilitatem. Denique Diodori narrationis de Apollinis Delii statua tam est obscura et suspecta natura, ut inde nunc quidem nil consequatur contra argumenta quae protuli historica.

Ab his Samiis artificibus, quorum nec discipuli nominantur, nec omnino qui Sami postea artem ab iis acceptam coluerint, transeo ad Ageladam non quidem ductus temporum ratione, sed quod huius vitae tamquam fundamento tota fere artificum historia superstruenda est.

De Agelada.

1. De tempore Ageladae Argivi quae nobis tradita sunt, cum ad unius hominis vitam referri posse non videantur,

eam sunt ingressi explicandi viam Thierschius et Silligius, ut in unius nomen congesta statuerent, quae ad duos eiusdem nominis artifices pertinerent. Qua in re cum ita versaretur Silligius, ut utrumque Argivum censeret, habuit sibi adversantem Thierschium p. 160, qui alterum fuisse Argivum circa Ol. 70, alterum Sicyonium statuit ipso belli Peloponnesiaci initio superstitem. Quod ut probet 1) Amasaeum in versione horum Pausaniae verborum (V, 24, 1) τοῦτο δέ ἐστιν Ἀσκάρου τέχνη Θηβαίου διδαχθέντος παρὰ τῷ Σικυωνίῳ [Ἀγελάδᾳ], Ageladae nomen e codicibus addidisse, 2) in tempore belli Phocensium et Thessalorum constituendo, e cuius praeda donarium fecit Thessalorum Ascarus, Pausaniam errasse contendit. Ex eo enim bello: ὃν πρότερον ἔτι ἐπολέμησαν πρὶν ἢ Μήδους καὶ βασιλέα ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα διαβῆναι, victores evasisse Phocenses teste Herodoto VIII, 27; praeterea Pausaniam non quao certis testimoniis cognosset, nobis tradidisse, sed ipsius coniecturam. Quod quamquam verum est, tamen ea ipsa coniectura non habet cur improbetur. Ita enim manca cum sit illorum bellorum historia, ut certis argumentis et testimoniis omnia demonstrari posse ipse neget Thierschius, tenenda videtur Pausaniae coniectura, si probabilem esse probabilioremque Thierschiana certis adducimur argumentis ut credamus. Loquuntur quidem de Thessalorum tantum cladibus et Herodotus l. l. et Pausanias X, 1, 2. Sed docet omnis narratio maiores fuisse Thessalorum vires quam Phocensium. Non enim aperto proelio aggredi audent Thessalos, sed dolis utuntur a Tellia vate inventis, summus est hostium timor et rerum desperatio, ut inde in proverbium abierit ἀπόνοια Φωκική. Κατειλήθησαν ἐς τὸν Παρνησσὸν οἱ Φωκέες (Herod.), quod certe non factum esset, nisi victis antea Phocensibus. Non semper autem propitiam fuisse Phocensibus fortunam ipsa Pausaniae verba demonstrant, qui cladem trecentorum Phocensium nobis narrat, quae ad summam eos desperationem adegerit. Nihil igitur videtur repugnare victoriae Thessalorum illis temporibus de Phocensibus reportatae.

(Narrat Herodotus VIII, 32 et 33, Thessalos Persarum exercitum per Phocensium terram duxisse, quo in itinere tota terra vastabatur, complures urbes et templa, in quibus clarum illud quod erat Abis Apollinis θησαυροῖσί τε καὶ ἀναθήμασι πολλοῖσι κατεσκευασμένον, spoliabantur, incendebantur: qua in re certe non minima Thessalorum erat pars, ut fortasse ex his spoliis Thessalorum pararetur donarium, quod ab artifice Thebano, quorum urbs illo tempore cum Thessalis Persarum partes agebat, faciendum curarent. Id quod Pausaniae testimonio non valde repugnat).

2. Quare accedendum est ad alterum Thierschii argumentum ex Amasaei auctoritate depromptum. Quod fortasse iam ipse reiecit novissimis Pausaniae editoribus obtemperans. Nam cum antea esset in editionibus: παρὰ τῷ Σικυωνίῳ . . . καὶ Θεσσαλῶν φασιν εἶναι, ὅτε Φωκεῦσιν εἰς πόλεμον οὗτοι κατέστησαν, e codicibus φησὶν pro φασὶν, εἰ δὲ pro ὅτε restituerunt, τινὰ pronomen post πόλεμον inseruerunt, unde post εἶναι distinguendum, post Σικυωνίῳ autem maior lacuna statuenda videtur, quam ita expleruntt probabili coniectura: τὸ δὲ ἐπίγραμμα τὸ ἐπ' αὐτῷ δεκάτην ἀπὸ τοῦ πολέμου Φωκέων] καὶ Θεσσαλῶν φησιν εἶναι. Quam lacunam cum non suppleret e codicibus Amasaeus, neque Ageladae nomen e codicibus eum inseruisse certum videtur. Ceterum nec Heynii coniectura (opusc. acad. V, 368), quam probavit Silligius: Κανάχῳ placet. Excidisse potius videtur artificis minus clari nomen, cuius tempus esset incertum, quia e clari artificis tempore belli tempus constituere potuerat Pausanias. — Sicyonius igitur Ageladas cum iam evanuerit, accedit quod cum Thierschius Sicyonium illum velit esse Herculis Melitensis sculptorem, Polycleti et Myronis, non Phidiae praeceptorem, in scholiis ad Arist. ran. 504 Ageladas Herculis sculptor et Argivus et Phidiae praeceptor nominatur. Quod autem in Iovis Ithomaei mentione a Pausania IIII, 33, 3 patria Ageladae non est addita, id in alteram potius, quam in Thierschii partem vim habet. Si enim diversae patriae notitiam habuisset

Pausanias, certe addidisset in tali genere diligentissimus scriptor.

3. Iam quid omnino de duobus eiusdem nominis artificibus censendum sit, e veterum testimoniis accuratissime inter se collatis diiudicandum est. Et Herculem quidem Melitensem fecisse Ageladam, testantur et Tzetza Chil. VIII, 191 et schol. ad Arist. ran. 504; de quo non est quod dubitemus. Sed quod addit scholiasta: *ἡ δὲ ἵδρυσις ἐγένετο κατὰ τὸν μέγαν λοιμὸν, ὅθεν καὶ ἐπαύσατο ἡ νόσος*, id iure nostro videmur impugnare posse. Primum enim male nos habeat oportet, quod de opere traditur a praeceptore post mortem discipuli Phidiae confecto, qui non iuvenis sed senex mortuus est: quod certe incuriae arguit scholiastam. Deinde vero totam illam de peste Attica narrationem reiiciendam esse recte iam viderunt et Welckerus diar. art. 1827, n. 81 et Muellerus de Phidia §. 7, qui multo antiquius esse illud cognomen et Delphis Athenas translatum haud dubitat. Quod paulo planius exponit in Doriens. I, p. 455, maxime respiciens ad oraculum Delphicum apud Demosth. in Mid. 15, in quo Iuppiter, Hercules, Apollo *προστατήριος* coniunguntur. Idque valde confirmatur eo, quod Pausanias 1, 34, 2 in describendo Amphiarai oraculo antiquissimo eius aram commemorat in quinque partes distributam mystica certe significatione, in cuius prima parte erat Hercules, Iuppiter, Apollo *Παιών*. Ad mysteria autem omnino Herculem *Ἀλεξίκακον* spectare, inde quoque quam maxime mihi persuasum est; quod Melitae, Atticae pago, eius erat sacrum, *ἐν ᾗ ἐμυήθη Ἡρακλῆς τὰ μικρὰ μυστήρια* (Schol. l. l. et Lexicographi v. *Μελίτη*). Talia autem mysteriorum initia quaerenda sunt in antiquissimis religionibus, non in Peloponnesiaci belli morbis. Accedit ad hoc Thucydidis testimonium de peste II, 47: *ὅσα τε πρὸς ἱεροῖς ἱκέτευσαν ἢ μαντείαις καὶ τοῖς τοιούτοις ἐχρήσαντο, πάντα ἀνωφελῆ ἦν, τελευτῶντές τε αὐτῶν ἀπέστησαν ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικώμενοι* (cf. cap. 53 s. fin.): unde hoc quidem certe falsum est, quod scholiasta dicit: *ὅθεν καὶ ἐπαύσατο ἡ νόσος*.

De Plinio denique prorsus assentior Muellero (§. 8, ann. r) sic iudicanti: *ex hoc signo ad pestem Atticam male relato nescio an etiam fluxerit error Plinii Ageladam epochae Olympiadis 87 assignantis* (XXXIIII, 8, 49).

4. Digredi placet hoc loco ab Hercule Averrunco ad similia aliorum deorum, maxime Apollinis cognomina, quae non minus falso ad pestem illam referuntur. Primum enim Pausaniae fidem, qui haec refert, suspectam reddunt ipsius verba de Apolline Averrunco I, 3, 3: τὸ δὲ ὄνομα τῷ θεῷ γενέσθαι λέγουσιν, ὅτι νόσον ὁμοῦ τῷ Πελοποννησίῳ πολέμῳ πιέζουσαν κατὰ μάντευμα ἔπαυσεν ἐκ Δελφῶν, quae ad populum aut monumentorum interpretes pertinere hanc famam testantur, quorum quidem multo maiores errores novimus. Huic vero famae superstruxit Pausanias, quae de Επικουρίῳ Phigaliensi, VIII, 41, 5, Ἀκεσίῳ Elidensi, VI, 24, 5 coniecit. Deinde autem et hic repugnat duplex Thucydidis testimonium 1) de peste non levata, 2) II, 54 affirmantis non intrasse morbum intra Peloponnesi fines ὅ,τι ἄξιον καὶ εἰπεῖν. Herculi autem si Averrunci nomen proprium et ex natura est inditum, magis etiam convenit Apollini, cuius summa vis cum in puniendo, vindicando, tum in sanando, averruncando est posita, (v. Mueller. Dor. I, 296 sqq. et supra quae de Amphiarai ara diximus) ut haec quoque cognomina Peloponnesiaco bello multo putem antiquiora. Quae cum ita sint, non solum cadunt, quae de Phigaliensi templo tradit Pausanias, de quo quae praeterea monenda sunt, vide ap. Mueller. §. 8. et in Zimmermanni ephemer. 1832. II, n. 39, sed etiam C a l a m i d i s aetas paulo aliter videtur constituenda. In quo male me habuit, quod cum ante Myronem et Phidiam ponendus sit secundum id quod de arte eius iudicium Quinctilianus facit, post Phidiae senis mortem fecisse cum Apollinem Averruncum tradit Pausanias (I, 3, 3). Deinde nimium videtur protrahi eius aetas; nam cum in Hieronis curru esset occupatus, qui paulo post eius mortem, Ol. 78, 2 dicatus erat, tunc non incepisse eum artem exercere, sed iam clarum fuisse

ex eo videtur prodire, quod cum Onatas clarissimus tunc artifex statuam faceret, Calamis fecit **equos**, in quibus conficiendis summa erat inter aequales eius gloria. Idque optime confirmaretur, si certum esset iam Ol. 75, 2 Agrigentinis eum fecisse donarium de Motya capta, ut cum probabilitate quadam proposuit Meyerus ad Winckelm. hist. art. VIIII, 2, 42. Reiecto autem Apolline ad pestem Atticam relato, de quo dubitat etiam Muellerus annal. Vindob. 1827. Vol. XXXVIII, p. 276, aetas Calamidis Onatae aequalis optime consentit cum Quinctiliani iudicio. Cui nec Mercurii *Κριοφόρου* quae erat Tanagrae Calamidis statua (Paus. VIIII, 22, 2) repugnat, quoniam si Peloponnesiaco bello de morbo cognomen esse impositum Mercurio Pausanias sumpsit, plane eum refellit Onatae Mercurius *Κριοφόρος*: Paus. V, 27, 5. — **Panem** denique *Λυτήριον* (Paus. II, 32, 5) Persico potius, quam Peloponnesiaco bello assignare velim; cf. Herod. VI, 106. Plut. Arist. 11.

5. Sed revertamur ad Ageladam, cuius vitam quamquam in angustiores contraximus fines, ea ipsa videtur humanam excedere conditionem. Si enim sumimus, iam Ol. 65 artem exercuisse Ageladam, habemus usque ad id tempus, quo Iovem Ithomaeum fecit, fere septuaginta annos. Quare ne cogamur temporum ratione, ut duos fuisse Ageladas statuamus, ea est ingredienda via, quam significarunt quidem, sed non satis probaverunt Meyerus ad Winckelm. hist. art. VIIII, 1, 10, Siebelisius ad Paus. VI, 10, 2, Muellerus de Phid. §. 6. Negandum enim est victorum Olympicorum statuas omnes statim post victorias esse factas, unde iam non cogimur statuere ea ipsa Olympiade, qua quis vicit, artificem iam floruisse, qui statuam eius fecerit. Quod ut demonstremus, primum examinemus, quae ab aliis ad hanc sententiam firmandam allata sunt exempla, quibus deinde nova et exempla et argumenta addamus. Et Meyerus quidem ad unum Oebotam provocat Dymaeum, de quo haec narrat Pausanias VII, 17, 6: *νικήσαντι Ὀλύμπια Ἀχαιῶν πρώτῳ* (Ol. 6. cf. §. 3; VI, 3, 4; Afric. ap. Euseb.) *γέρας οὐδὲν ἐξαίρετον παρ'*

αὐτῶν ἐγένετο εὔρασθαι· καὶ ἐπὶ τούτῳ κατάρας ὁ Οἰβώτας ἐποιήσατο μηδενὶ Ὀλυμπικὴν νίκην ἔτι Ἀχαιῶν γενέσθαι. καὶ (ἦν γάρ τις θεῶν ᾧ τοῦ Οἰβώτα τελεῖσθαι τὰς κατάρας οὐκ ἀμελὲς ἦν) διδάσκονταί ποτε οἱ Ἀχαιοί, καθ' ἥντινα αἰτίαν στεφάνου τοῦ Ὀλυμπίασιν ἡμάρτανον, διδάσκονται δὲ ἀποστείλαντες ἐς Δελφούς. οὕτω δὴ καὶ ἄλλα ἐς τιμήν σφισι τοῦ Οἰβώτα ποιήσασι καὶ τὴν εἰκόνα ἀναθεῖσιν ἐς Ὀλυμπίαν (Ol. 80: Paus. ll. ll.), *Σώστρατος Πελληνεὺς σταδίου νίκην ἔσχεν ἐν παισίν.* Quod si verum est, Oebotam Ol. 6 victorem Ol. demum 80 statua nobilitatum esse, hic ratio eius est nulla habenda, cum Ol. 59 primam victori statuam positam esse Olympiae doceat Pausanias VI, 18, 5. Sed cum post Oebotam, primum omnium Achaeorum victorem, secundum dicat vicisse Sostratum post Ol. 80, ipse sibi repugnat. Nam IIII, 15, 1 tradit Ol. 23 stadio vicisse Icarum Hyperesiensem Achaeum; V, 9, 1 Pataecum Dymacum *κάλπῃ* Ol. 71, et ex Africano scimus Ol. 67 vicisse stadio, recursu, cursu armato Phannam Pellenensem. Inde cum omnis Pausaniae narrationi fides detrahatur, accedit quod Plataeensi pugnae interfuisse Oebotam fama erat (Paus. VI, 3, 4). Reiectis igitur Pausaniae narrationibus, statuendum est aut ob aliam causam posterius esse positam Oebotae statuam, aut vicisse alium Oebotam Plataeensis pugnae tempore, neglectum a civibus, a quo usque ad Ol. 80 Achaei victoriae participes non fierent; idque pro certo affirmare non dubitarem, nisi fuisset in inscriptione statuae (Paus. VII, 17, 3): *Οἰβώτας στάδιον νικῶν*, quod de victoria virorum circa Ol. 75 reportata accipi vetat Africani index, de puerorum victoria intelligere non audeo ob *παῖδας* vocabulum omissum. Incerta igitur huius est exempli auctoritas. Eorum deinde, quae attulit Siebelisius (VI, 10, 2), unum tantum vim habet in meam partem. Chionis enim, cuius statua posterius confecta erat *), Ol. 29 vicit,

*) A Myrone, in quo cur offendat Pausanias non video; nam ut columna posterius est dicata victoriarum memoriae, sic statua quo-

quo tempore statuae victoribus non ponebantur. Quamobrem Eutelidae quoque statua, qui vicit Ol. 38, non est curanda. Neque curandus est Hieronis currus, cum paulo post victoriam mortuus sit Hiero. Quod idem si de Glauco contendit Carystio Silligius, incuriae est accusandus. A patre enim Glaucus Olympiam erat perductus (Paus. VI, 10, 1) pugil pugnaturus, iuvenis ut videtur et οὐκ ἐμπείρως ἔχων τῆς μάχης. Alio igitur loco nondum pugnaverat. Reportavit autem post Olympicam victoriam duas Pythias, octo Nemeaeas et Isthmias; quare cum filius statuam poneret Olympiae, non potest statim post victoriam posita esse, patre diu post eam superstite *). Cui exemplo nova sunt addenda haec: Chilonis Patrensis (Paus. VI, 4, 4), Polydamantis Scotussaei, cuius Ol. 93 ex Afric. victoris statuam fecit Lysippus, Diagorae, qui vicit Ol. 79 (Paus. VI, 7, 1), quem fecit Callicles Megarensis, cuius pater Theocosmus post Ol. 93, 4 superstes fuit (Paus. X, 9, 4). Quibus exemplis, quae ad manus erant, fortasse alia poterunt addi; ita, cum (Paus. VI, 16, 5) Polypithis currus, Callitelis patris lucta victoris statua ἐπὶ στήλης τῆς αὐτῆς posita essent, filius videtur posuisse patris statuam. Troili quoque statua (Paus. VI, 1, 2), qui vicit Ol. 102, si cui

---

que potuit dicari. Mirus autem est Silligii error sb. Chionide artifice ad hunc Pausaniae verba referentis.

*) Actum est de Glauci victoriis apud Suidam e Pausania sua haurientem et Bekkerum anecd. p. 232 et 227, ita ut in numero quidem victoriarum non consentiant, sed ut appareat, discrepantiam exortam esse e confusione victoriarum diversis ludis reportatarum. Quod apud eos est: vicisse πέμπτη καὶ εἰκοστῇ Ὀλυμπιάδι Glaucum, id mutandum est in π. κ. ἑξηκοστῇ, ob verba quae sequuntur apud Bekkerum: ἀπέθανε δὲ ἐξ ἐπιβουλῆς Γέλωνος τοῦ Συρακοσίων τυράννου. Ἑβδομηκοστῇ enim, quod Siebelisius l. l., Thierschius p. 195, Muellerus Aeg. p. 199 probant, ferri non potest, quia Ol. 75, 3 Gelo est mortuus, Glaucum autem diu post Olympicam victoriam superstitem fuisse ob reliquas victorias constat.

nimis videtur producere Lysippi aetatem, non statim post victoriam eam esse factam sumere licet.

6. Est autem praeterea alia ratio, de qua nemo antea cogitavit, quae non semper statim post victorias positas esse statuas quam maxime suadet. Scimus enim permultos reportasse complures victorias Olympicas: attamen singulorum singulae tantum erant statuae. Has autem non post primam, sed post ultimam victoriam positas esse docent complures inscriptiones, in quibus priorum victoriarum mentio fit. Quid igitur? si non statim post primam vel secundam victoriam statuae positae sunt, cur statim post tertiam, quartam id factum esse contendamus? Mihi quidem, si coniicere licet, probabile videtur, tum demum victores statuarum curam habuisse, cum eo pervenissent, ut victoriarum honorem capessere aut per aetatem iam non liceret, aut ipsi victores aliam ob causam nollent. Similiter carmina victoriae celebrandae causa composita non semper statim post victorias scimus, sed interdum multo posteriore tempore. Accedit quod cum Ol. 59 prima statua poneretur *), vix probabile videtur statuere iam Ol. 65 aut 66 legem fuisse, ex qua victoribus statuae ponerentur, praesertim cum non semper victorum patriam, sed saepe amicos, cognatos, alios statuam curasse constet, quod de lege cogitari vetat. — Quod si tenemus, detrahere aliquid possumus de Ageladae vita. Timasitheum autem Delphum, qui iam Ol. 68, 2 supplicio est affectus ab Atheniensibus, si quis mihi opponat, scito hunc ipsum meam causam defendere. Erat enim ex iis qui saepius vicerant et erat cum interfice-

*) Arrhachio enim non Olympiae, sed a civibus in patria positus erat. Eutelidae autem statua quando posita sit, incertum est, cum inscriptio iam Pausaniae temporibus evanuisset; verisimile est eodem tempore, quo Chionidis victoriarum memoria a Lacedaemoniis renovabatur, Eutelidae quoque rationem eos habuisse. Quod disputatum est contra Rossium, qui archaeol. §. 108, 1 Pausaniae auctoritatem impugnat.

retur, ea aetate, qua poterat victoriam capessere, quantum licet e Pausaniae huius viri mentione concludere, ut statuae curam tunc non haberet. Iam cum supplicio esset affectus ab Atheniensibus, patriae cives fortasse ipso commoti sunt, ut statua nobilitarent civem qui victoriis patriam nobilitasset.

7. Quae cum ita sint, nihil obstat, quominus ad unum Ageladam referantur omnia veterum scriptorum testimonia, qui cum sub Ol. 70 artem exercere coepisset, fere usque ad Ol. 82 superstes fuit, ut Iovis Ithomaei signum postremum fere eius opus videatur. Cui aetati optime conveniunt Pausaniae verba VIII, 42, 4: *ἡ δὲ ἡλικία τοῦ Ὀνατᾶ κατὰ τὸν Ἀθηναῖον Ἡγίαν καὶ Ἀγελάδαν συμβαίνει τὸν Ἀργεῖον* *). Onatam enim, qui, si Thierschii de Agelada sententiam sequeremur, medio inter utrumque Ageladam loco positus esset neutri aequalis, circa Ol. 78 floruisse, primum docet Hieronis currus, deinde Minervae Areae Plataeense templum ab Onata et Polygnoto picturis ornatum. De quo cf. infra Phidias. Ad idem fere tempus deducimur Thasiorum

*) De verbis, *γενεαῖς μάλιστα [δυσὶν] ὕστερον τῆς ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα ἐπιστρατείας τοῦ Μήδου*, probo Thierschii sententiam p. 200, ann. 126. — Scripsit de Onata commentationem copiosissimam Rathgeberus in Erschii et Gruberi Encyclopaediae sect. III, part. 3, p. 410 sqq., quam ne dicam ipsam displicere, non tamen placet commentandi via et ratio. Cum enim paucissima tantum certo sciamus de hoc artifice, ne satis quidem accurate ea constituta sunt in hac commentatione: ita de templo Plataeensi aliter sentiendum est. Mirae autem negligentiae exemplum est, quod ubi de „immensa Marathoniae pugnae praeda" loquitur, in annotatione laudat Herodotum VIIII, 80, de immensa Plataeensis pugnae praeda ibi loquentem. Exigua autem illa fundamenta obruit quodammodo narrationum multitudine, continuam artificis eiusque operum historiam contexens, quam si veram esse posse largiri volumus, veram esse nullo fere argumento demonstrare possumus.

Hercule Olympiae dedicato. Nam cum ab Ol. 72 (Herod. VI, 44 et 46) usque ad Ol. 75 (Herod. VII, 118, cf. Thuc. I, 89) in Persarum essent potestate Thasii, ad quod Rathgeberus quoque animum advertit; Ol. autem 79, 2 ab Atheniensibus subigerentur opesque frangerentur (Thuc. I, 101), intra Ol. 75—79 Hercules ab Onata videtur factus esse. Unde iam apparet non Onatae patrem sed aequalem fuisse Miconem Atheniensem pictorem et statuarium. Quod cum recte contra Boettigerum (archaeol. pict. p. 254) monuisset Thierschius p. 197, non tamen recte se habet, quod videtur putare Thierschius pugnam in poecile porticu pictam esse statim post victoriam, cum Cimonis demum tempore id factum esse constet. Nec de Plataeensi templo ei est assentiendum.

8. Difficilior est quaestio de Tarentinorum duobus donariis e Peucetiorum et Messapiorum praeda factis ab Onata et Agelada, Paus. X, 13, 5; 10, 3; quae huic tempori tribuenda videntur. Herodotus enim VII, 170 mentionem iniicit summae cladis, qua a Messapiis affecti sunt Tarentini et socii Rhegini. Qua in re cum consentiat Diodorus XI, 52, addit in fuga divisum esse exercitum, alteram partem fugisse Tarentum, alteram i. e. socios Rheginos Rhegium, hostes item se divisisse tantoque successu prosecutos esse Rheginos, ὥστε συνεισπεσεῖν τοῖς φεύγουσιν εἰς τὸ Ῥήγιον καὶ τῆς πόλεως κυριεῦσαι; idque factum esse Ol. 76, 4. Tamen paulo post (cap. 66) Rhegii eundem fuisse Micythum Anaxilae tyranni Rhegini liberorum tutorem narrat Ol. 82, 2, qui et ante cladem et urbis expugnationem fuit. Cui narrationi si addimus quae refert Aristoteles Polit. V, 3: ἐν Τάραντι ἡττηθέντων καὶ ἀπολομένων πολλῶν γνωρίμων ὑπὸ τῶν Ἰαπύγων (Herod. Ἰήπυγας Μεσσαπίους) μικρὸν ὕστερον τῶν Μηδικῶν, δημοκρατία ἐγένετο ἐκ πολιτείας, et Strabo VI, p. 280: Ἴσχυσαν δέ ποτε οἱ Ταραντῖνοι καθ' ὑπερβολὴν πολιτευόμενοι δημοκρατικῶς, videtur coniici posse, intentis viribus populi hoc imperium res reparasse, victis hostibus Rhegium liberasse, ut huic tempori (paulo post Ol. 76, 4) tribuendum sit

et Ageladae de Messapiorum et Onatae de Peucetiorum praeda opus. (Quae cum iam essent conscripta, Rathgeberum in eandem vidi incidisse sententiam.) Utrumque enim populum bello interfuisse docet Pausanias X, 13, 5: βασιλεὺς Ἰαπύγων Ὦπις ἥκων τοῖς Πευκετίοις σύμμαχος, quo interfecto et victis Peucetiis Iapyges quoque victi videntur. (Paulo aliter Lorentzius: Tarentinorum res gestae. Elberfeldae 1838. p. 4 et 6.) Tamen has esse coniecturas paucis superstructas testimoniis monitum volo. — Ex Ageladae denique operibus in idem fortasse tempus incidit Hercules ille Melitensis. Ageladam enim in Attica vixisse Muellerus de Phid. §. 7 cum inde, quod Phidiae et Myronis praeceptor fuit, tum ex hoc signo Melitensi recte videtur concludere. In eo vero, id quod post Ol. demum 79, 3 Athenas venisse putat Ageladam, quod ob ipsius de Phidiae vita sententiam libentius arripit, fortasse aliquo modo corrigi potest. Diodorus enim XI, 43 haec habet: Ol. 75, 4 Themistocles ἔπεισε τὸν δῆμον . . . καὶ τοὺς μετοίκους καὶ τοὺς τεχνίτας ἀτελεῖς ποιῆσαι, ὅπως ὄχλος πολὺς πανταχόθεν εἰς τὴν πόλιν κατέλθῃ καὶ πλείους τέχνας κατασκευάσωσιν εὐχερῶς. Hoc igitur tempore si Athenas venit Ageladas, quod optime convenit Phidiae tempori, quamquam de hoc fortasse aliter statuendum (cl. de Phidiae Minerva Pellenensi), tunc eum fecisse Herculis signum Melitensibus concludere possumus, qui non quidem peste, sed periculo bellis Persicis imminente liberati Ἀλεξικάκῳ Herculi, gentis patrono, gratias erant acturi.

Cum Agelada in epigrammate Antipatri Anthol. Pal. II, p. 692 coniunguntur Canachus eiusque frater Aristocles Sicyonii. In quo quamquam dubitare licet de eo, quod Musarum statuis ab eis confectis musicae artis tria genera significata dicit Antipater maxime ob chroma, quod post illorum artificum aetatem communi usu invaluit, tamen quod ad tempus attinet, recte videntur coniuncti, ut nostro iure ab Agelada possimus transire ad hos Sicyonios artifices.

De Canacho Sicyonio.

Huius aetatem ex eo tantum definire licet, quod Milesiis fecit Apollinem Philesium. Quem si post Mycalense proelium Xerxes Ecbatanam abduxit, ante Ol. 75, 2 factum esse consequitur. Sed huius de Xerxe et de Branchidarum fuga narrationis fidem merito impugnat Soldanus Zimmerm. ephemer. 1841, n. 69; tamen non est valde mutanda Apollinis illius historia. Bene enim monet ipse Soldanus p. 573: videri Carios illos Darii accolas, non Branchidas post liberatos Graecos (Ol. 77, 3. Diod. XI, 60) vastato spoliatoque templo ad Xerxem fugisse, unde odium Milesiorum ipsis Alexandri temporibus. — Post Ol. 70, 3 sive potius 71, 3 (cf. Clinton fast. Hell. h. a. et append. c. V) factum esse Apollinem, ex eo concludit Muellerus diar. art. 1821, 16, quod illo ipso anno templum et oraculum Milesium a Dario et expilatum et incensum esse tradat Herodotus his verbis VI, 19: *ἱρὸν δὲ τὸ ἐν Διδύμοισι, ὁ νηός τε καὶ τὸ χρηστήριον συληθέντα ἐνεπίμπρατο.* Quae cum non probet Thierschius p. 144, de rationibus eius iudicandum est. Et quod dicit, non verisimile esse Branchidas antiquissimis religionibus deditos neglecto vetere dei simulacro, quod in templo antiquissimo fuisse necesse sit, novi artificis imaginem substituisse, nihili est; nam si in incendio templi perierat vetus signum, non neglecta sed servata religione novum erat parandum. Cervus autem ille artificiose factus (Plin. XXXIIII, 8, 75) ad templi et mysteriorum fortasse cultum pertinet, itaque potius ad templi signum, quam ad donarium aliquod, in quo nulla erat talis artificii ratio. Concedamus deinde Thierschio, potuisse non in templo, sed sub dio in *ἱερῷ* positum esse aeneum Apollinem, ut incendio non corriperetur, tamen remanet Herodoti *συληθέντα* vocabulum, quod non amovetur Strabonis testimonio XIIII, 634 dicentis Xerxi demum tradidisse Branchidas opes dei, *θησαυροὺς* [aut potius a Caribus demum raptas esse opes]. Poterant enim post prius incendium collectae esse novae opes, pote-

rant abscondita esse a Branchidis, quae erant auri, argenti opera; sed de colossico opere id sumere non licet. Neque quidquam consequitur e Taciti verbis (annal. III, 36) de Darii tutela huius oraculi, nisi quod Aeolicis incolis deleverat, restituisse semibarbaris illis Darium, quibus incolendam dedit Miletum Aeolibus in servitutem abductis (Strab. XIIII, 611: *ὥστε ἡμιβαρβάρους γενέσθαι φησὶ Δημήτριος ὁ Σκήψιος ἀντὶ Αἰολέων.* Herod. I. l.). Nam quod Thierschius in ipsa vastatione et incendio Darii tutela usum esse oraculum dicit, equidem non intelligo. Ex eo vero quod templum *κεκόσμηται ἀναθήμασι τῶν ἀρχαίων τεχνῶν πολυτελέστατα,* quid concludamus? Largiamur nihil esse deletum priore incendio; tamen abstulit Xerxis aetas illa *ἀρχαίων τεχνῶν* opera, ut aut aliunde esse allata illa antiqua opera post Xerxem, aut cum Apolline a Seleuco ab aliove rege reddita esse Milesiis statuendum sit. — Denique artis indoles non obstat quominus circa Ol. 73 floruisse Canachum statuamus. Cicero enim (Brut. 18) si Myronem Phidiae aequalem Calamidi in arte praefert, qui Ol. maxime 78 clarus, quare Ol. circiter 5 antiquior fuit, eodem iure Calamidem praeferre potest Canacho Ol. 73 claro. Apollo autem, qui ad exemplar Philesii videtur factus, cum Minerva Aegiuctica comparatus confirmat potius, quam evertit Muelleri sententiam, siquidem e tabulis aer incisis iudicium ferre licet.

Ceterum res est valde ardua et periculosa de hac antiquissima arte iudicare, cum desint monumenta certo tribuenda artifici, e quibus iudicari possit. E scriptorum autem testimoniis quod componitur iudicium quam sit vagum, haec doceant, quae iam scripturus sum:

De Callone Aegineta.

Qui artifex ab omnibus nunc tribuitur Ol. 60 — 66 ob Quinctiliani XII, 10 de arte eius iudicium et quia Tectaei et Angelionis discipulus dicitur. Tamen si Quinctiliani de Cal-

lone et Ciceronis de Canacho iudicium comparamus, in artis genere plane sibi respondent:

rigidiora Canachi	duriora Callonis
molliora Calamidis	minus rigida Calamidis
pulchra Myronis	molliora adhuc Myronis.

Quodque intelligimus hac comparatione, id disertis verbis tradit Pausanias VII, 18, 6: *Μέναιχμος καὶ Σοΐδας . . . Κανάχου τοῦ Σικυωνίου καὶ τοῦ Αἰγινήτου Κάλλωνος οὐ πολλῷ τινι ἡλικίαν ὕστεροι.* Iam antea Canachum post Ol. 70 artem exercuisse vidimus. Quae si cui infirmiora videantur, alia comparatione hanc habeat confirmatam. Quinctilianus enim cum Callone coniungit Hegesiam; Lucianus rhet. praec. 9 cum Hegesia Critium et Nesiotam, quos Ol. 75 Harmodii et Aristogitonis statuas (alteras) fecisse certum est (Marm. Par.): *τὰ τῆς παλαιᾶς ἐργασίας ἐστὶν Ἡγησίου καὶ τῶν ἀμφὶ Κρίτιον καὶ Νησιώτην* (ita, cf. Rossium diar. art. 1840, 11, cui prorsus assentior) *ἀπεσφιγμένα καὶ νευρώδη καὶ σκληρὰ καὶ ἀκριβῶς ἀποτεταμένα ταῖς γραμμαῖς.* Videtur igitur Callo ad tempus Ol. 70. potius quam 60. posterius pertinere. Qua probabilitate nisus coniecturam proferre audeo, quae si audacissima putabitur, non mirabor; sed iis quae attuli non repugnat. Narrat enim Pausanias III, 18, 5 de tripodibus Amyclaeis, tria genera discernens: *Αἴνητος . . τούτου γε οὖν ἐστιν εἰκὼν καὶ τρίποδες χαλκοῖ, τοὺς δὲ ἀρχαιοτέρους δεκάτην τοῦ πρὸς Μεσσηνίους πολέμου φασὶν εἶναι· ὑπὸ μὲν δὴ τῷ πρώτῳ τριπόδι Ἀφροδίτης ἄγαλμα ἑστήκει, Ἄρτεμις δὲ ὑπὸ τῷ δευτέρῳ. Γιτιάδα καὶ αὐτοὶ τέχνη καὶ τὰ ἐπειργασμένα, ὁ τρίτος δέ ἐστιν Αἰγινήτου Κάλλωνος, ὑπὸ τούτῳ δὲ ἄγαλμα Κόρης τῆς Δήμητρος ἕστηκεν·* tertium sequitur genus de pugna Aegospotamensi dicatum. Quae verba ita intelligere voluerunt Muellerus Aeg. 101, Thierschius p. 147, Silligius, novissimi Pausaniae editores, ut *τοὺς δὲ — φασὶν εἶναι* interposita (parenthetice) contenderent, libro autem IV, 14, 2, ubi de Gitiadae et Callonis tripodibus post bellum primum Messeniacum dedicatis narratio repetitur omissis tantum artificum nominibus,

hanc ab interprete sciolo quodam insertam esse statuerent. Quae utraque horum virorum coniectura mihi non placet. Interpres enim si ad verbum descripsit Pausaniam, cur omittat artificum nomina? Plura autem tripodum genera cum distinguat Pausanias, cur unum in parenthesi commemorans omnem ordinem perturbet? perturbatum enim esse negari nequit. Contra optime omnia procedunt optimeque conveniunt peregrinatori describenti quae et quomodo viderit, si ita explicantur verba: primo loco positi sunt Aeneti tripodes nullo ornatu; nimium enim videtur statuere Aenetum victorem et statua (a quo confecta sit, cum non addatur a Pausania, non videtur valde clari artificis fuisse) et tripodibus a claris artificibus exornatis honoratum esse. Iam paululum progrediens ad alios tripodes pervenit antiquiores illis, de clara victoria positos, quibus optime convenit maior ornatus. Tertio deinde loco maximi sequuntur de Aegospotamensi victoria positi. Quam simplicissimam explicandi rationem certe nemo non agnovisset, nisi difficultates moveret belli Messeniaci primi mentio libro quarto iniecta, ad quod reici non possunt Callo et Gitiades. Nam ex artis iudicio ad Canachi, Critii, Hegesiae aetatem deducimur intra Ol. 70—80. Quid igitur, si Pausaniae errorem in eo positum putemus, quod ad primum Messeniacum bellum referat, quae ad tertium pertineant? Summus is videtur error, nec tamen alienus a Pausania, quem certum est confudisse quae ad Ol. 29, belli secundi finem, et 71, qua Zancle Messana est appellata, pertinent, quem in iudicio de antiqua (i. e. de ea quae erat ante Phidiam) arte faciendo quam maxime videmus fluctuantem. Calloni autem si tribuimus opus paulo post Ol. 81, 2 factum, nihil impedit, quominus iam circa Ol. 70 cum artem exercuisse statuamus. Nec obstat, sed optime quadrat, quod Aeginam patriam Ol. 80 ab Atheniensibus subactam esse scimus. Relicta enim patria, ut servitutem fugeret, cum ad alias civitates confoederatas, tum ad Lacedaemonios maxime Aeginetis propitios se conferre poterat. Plinii autem testimonium XXXIIII, 8, 49, quam-

quam non multum ei tribuendum, qui cum Agelada illum coniungit, hac ratione aliquo modo confirmatur. — Quae cum ita sint, una restat difficultas, sed ea talis, quae removeri possit. Pausanias enim II, 32, 4 Callonis praeceptores dicit Tectaeum et Angelionem, ipsos Dipoeni et Scyllidis discipulos, quos circa Ol. 50 inclaruisse Plinius XXXVI, 4, 9 dicit. Iam si cum Muellero statuerem, non primo gradu Callonem accepisse a Tectaeo et Angelione artem (Aeg. 102: *quot gradibus nescio*) audacior videri possem. Sed salvo Plinio statuere licet, *inclaruisse* Dipoenum et Scyllidem, i. e. primum gloriam adeptos esse *marmore sculpendo priusquam Cyrus in Persis regnare inciperet*, i. e. ante Ol. 55, 2, artem vero exercuisse etiam post Ol. 60, ut Tectaeus et Angelio tunc eorum discipuli circa Ol. 70 discipulum habere possent Callonem. Possumus tamen praeterea nonnullas Olympiades detrahere Plinio. Verisimile enim est, ipsius computationem inde fluxisse, quod in Cyri de Croeso victo manubiis statuae erant Dipoeni et Scyllidis, ut demonstravit ex Armeniis fontibus Muellerus Zimmerm. ephem. 1835, n. 110, unde id tantum certum est, artem eos exercuisse ante Ol. 58, 2. Ceterum quamquam haec Plinii computatio non valde videtur a vero abhorrere, tamen eius rationes quam sint omnino vagae et interdum aperte falsae, demonstrant quae statim sequuntur de Bupali et Athenidis proavorum tempore, qui cum circa Ol. 60 florerent, horum proavum Malam ad Olympiadum initium refert Plinius. Nimirum ita computaverat, tribuendam esse homini sexaginta fere annorum vitam, indeque quatuor hominum vitas efficere sexaginta Olympiades: non respiciens quid intersit inter vitam hominis et aetatem, quae intercedat inter patrem et filium. Nos, si recte se habet stemma, Olympiadi circiter 40 Malam tribuere possumus Rhoeco fere aequalem.

Aeginetae Eleus videtur fere aequalis fuisse Callo (Paus. V, 25, 1); elegiam enim statuis eius χρύσῳ ὕστερον inscriptam fecerat Hippias Eleus (circa Ol. 86), quas statuas non ante

Ol. 71 factas esse inde apparet, quod erant τῶν ἐπὶ τῷ πορθμῷ Μεσσηνίων, quae urbs Messana appellata est Ol. 71, 3 (cf. Sillig. p. 89, ubi alia.) Sed tamen eundem fuisse Aeginetam et Eleum contendere non audeo, quamquam post patriam devictam Elide quoque aliquod tempus commorare potuit Aegineta, ut inde Elei clarum sibi artificem arrogarent Eleoque tribuerent, quae fecerat Aegineta Olympiae.

Sed redeamus ad Sicyonios artifices agamusque

De Aristocle Sicyonio, Canachi fratre, eiusque discipulis.

De quibus quae sint statuenda quamquam iam significarunt Muellerus annal. Vindob. XXXVIIII, p. 133 et Schultzius Iahn. annal. 1829 p. 72, redintegrare tamen quaestionem iuvat Thierschii maxime, quem sequitur Silligius, refellendi causa, quem nusquam in toto libro tam vidi inconstantem, tamque sibi ipsi adversantem, quam in horum tempore constituendo, ut male hoc exemplo refellat Muellerum, qui Aeg. 105 *id genus computationis*, quod solis genealogiis insisteret, *acutiorem historiae artis crisim aliquando stirpitus exturbaturam* contenderat. Primum autem proponamus veterum testimonia, ad quae omnis disputatio recurrit, in quibus primo loco ponenda sunt Pausaniae verba VI, 3, 4: *Παντίας* . . . *ἀπὸ Ἀριστοκλέους τοῦ Σικυωνίου καταριθμουμένου τοὺς διδαχθέντας ἕβδομος ἀπὸ τούτου μαθητής*, quae discipulorum series maximam partem ex ipso Pausania restitui potest; nam VI, 9, 1 ita: *διδάσκαλοι δὲ ἐγεγόνεσαν Πτολίχῳ μὲν Συννόων ὁ πατὴρ, ἐκείνῳ δὲ Ἀριστοκλῆς Σικυώνιος ἀδελφός τε Κανάχου καὶ οὐ πολὺ τὰ ἐς δόξαν ἐλασσούμενος*, et paulo infra eadem §.: *Παντίας Χῖος παρὰ τῷ πατρὶ διδαγμένος Σωστράτῳ*, unde cum efficiatur haec series:

Aristocles — Synnoon. — Ptolichus — ? — ? — Sostratus — Pantias,

hanc ipsam probat Thierschius p. 143, ibique cum disertis ver-

bis huius Aristoclis septimum discipulum dicat Pantiam, p. 281 nescio qua negligentia et inconstantia et ne verbo quidem indicans, quae priore loco affirmaverat, prorsus aliam rationem iniit. Cum enim antea inter Ptolichum et Sostratum lacunam statuisset, postea Sostrato cum Ptolicho coniuncto, duo nomina deesse censet in seriei initio, quam Cleoeta patre, Aristocle avo Aristoclis Sicyonii e coniectura supplet, assensum ferens Sillgii, qui avum illum ipsum Cydoniatam Aristoclem putat. Quae non ita esse et testimonia et temporum ratio testantur. Cydoniatam enim avum esse Sicyonii cum patria vetat statuere, idque eo magis, quo frequentius apud omnes fere Graeciae populos Aristoclis est nomen, tum obstat quod eius aetatem non novit Pausanias, cum e nepotis tempore potuisset coniicere. Deinde ubi Pantiam septimum dicit Aristoclis discipulum, de claro illo Canachi fratre cogitandum esse et per se verisimile est et patriae notitia confirmat. Aristoclem vero Cleoetae patrem et Aristoclem eius filium cum Cydoniata et Sicyonio coniungendos esse nihil est quod confirmet. Neque enim ubi de Sicyonio, neque ubi de Cydoniata loquitur Pausanias, horum ullam mentionem iniicit, neque horum nec Cleoetae quae sit patria affert, nec denique in Sicyonii eiusque fratris Canachi mentione de patre verbum addit. Probanda potius videtur Boeckhii corp. inscr. p. 39 et 237 et Muelleri de Phid. §. 13 coniectura, qui putant ad Atticam pertinere Cleoetam cum patre et filio. Et cum inscriptio Attica apud Boeckhium n. 23 pertinere videatur ad Ol. circ. 80, in eoque consentiat alia inscriptio Attica: *ΕΡΓΟΝ ΑΡΙΣΤΟΚΛΕΟΣ* (instit. archaeol. ephem. 1839. VI; diar. art. 1839 n. 46 et 92), operis autem, cui inscripta est, habitus paulo subtilior sit Aegineticis statuis, paulo rigidior Phidiae, hinc maxime confirmatur Boeckhii coniectura: hunc fuisse Cleoetae patrem, avum eius Aristoclis, qui in Minerva Phidiae reficienda curam posuit Ol. 95. Nam Cleoetae statua (Paus. I, 24, 3), cui galea argenteis unguibus ornata erat imposita, non repugnat, ut contendit Thierschius p. 281, cum Phidiae

temporibus in Parthenonis fastigio statuis adderentur arma aenea. Pausaniae autem verba: *ὅστις δὲ τὰ σὺν τέχνῃ πεποιημένα ἐπίπροσθε τίθεται τῶν ἐς ἀρχαιότητα ἡκόντων, καὶ τάδε ἐστίν οἱ θεάσασθαι*, si simpliciter explicamus, de antiquo opere cogitari vetant. Quae simplex explicatio non evertitur eo quod de *Σπουδαίων* genio affert Thierschius. Pausanias enim si *τὰ σὺν τέχνῃ πεποιημένα* antiquis opponit, antiqua putanda sunt ea quae primum apud Athenienses sacra habebantur: *πρῶτοι ἐπωνόμασαν*, *πρῶτοι ἀνέθεσαν*, quare Atheniensibus erant antiquiora quam aliis populis.

Quae cum ita sint, ad temporum computationes accedendum est. Atque Aristoclem circa Ol. 70 artem exercuisse e fratris aetate concluditur. E discipulis deinde Ptolichi aetatem inde definire licet, quod fecit Theogneti statuam, cuius e sorore filius Pythia vicit paulo ante Aeginam ab Atheniensibus devictam (Ol. 80, 4), unde Theogneti victoria indeque Ptolichus nonnullis Olympiadibus ante ponendus erit; una enim, quam Thierschius p. 281 statuit (aliter p. 143), non videtur sufficere, cum Theognetus inter pueros, Aristomenes inter viros vinceret, nisi non statim post victoriam statuam esse factam sumere vis. Non obstare autem, quod Synnoon Ptolichi pater ab Aristocle erat edoctus, Antiphanis exemplum demonstrat, qui paulo post Ol. 91, 3 (cf. infra) artem exercuit, cum Periclytus praeceptor esset edoctus a Polycleto post Ol. 89, 2 superstite.

Pantiam porro circiter Olympiadi 100 tribuendum esse *) inde concludere licet, quod Aristei statuam fecit, cuius pa-

---

*) Aequalis ei erat Philotimus Aegineta. Nam eodem tempore in uno opere utrumque occupatum fuisse, operis natura docet (Paus. VI, 14, 5). Insidebat enim in equo, quo vicerat Xenombrotus, Xenodicus puer lucta victor, ut filius fuisse Xenombroti videatur. Idque inde confirmatur, quod Xenodici patriam omittit Pausanias contra constantem consuetudinem. Dubitant Muellerus Aeg. 107, Siebelisius ad Paus. l. l., Sillgius.

trem Chimonem Naucydes statuis nobilitavit, unde Sostratus Pantiae pater Naucydi aequalis videtur, intra Ol. 90—100, quae computatio corfirmatur Hypatodori et Aristogitonis vitarum comparatione. Hypatodorum enim cum Polycle, Leochare coniungit Plinius sub Ol. 102 (XXXIIII, 4, 50). Sed iam multo ante artem eum exercuisse donarium docet Argivorum de victoria apud Oenoam Argivam reportata factum ab Hypatodoro et Aristogitone (Paus. X, 10, 2). Quam victoriam ne ad Peloponnesiacum bellum referam eo prohibeor, quod artifices Thebanorum tunc cum Lacedaemoniis coniunctorum fecisse hostium donarium de amicorum clade verisimile non est. Videtur potius ad Corinthium bellum referenda haec victoria, quo Thebani stabant a partibus Argivorum et Atheniensium contra Lacedaemonios, et ni fallor ad Ol. 96, 4. Xenophon enim quoniam Lacedaemoniorum partes agens de cladibus eorum aut tacet aut in victorias eas convertit, Diodoro utamur auctore, qui XIIII, 91 haec habet: *μετὰ δέ τινας ἡμέρας* (post pugnam ad Lechaeum, e qua superiores Athenienses prodierant; aliter Xenophon) *τῶν Λακεδαιμονίων μέρος τῆς στρατιᾶς διῄει διὰ τῆς Κορινθίας χώρας, οἷς Ἰφικράτης καί τινες τῶν συμμάχων ἐπιπεσόντες τοὺς πλείστους ἀνεῖλον. Ἰφικράτης δὲ μετὰ τῶν πελταστῶν ἐπὶ Φλιασίαν στρατεύσας καὶ μάχην τοῖς ἐκ τῆς πόλεως* (Sicyone Lacedaemoniorum socia) *συνάψας τούτων μὲν πλείους τριακοσίων ἀπέκτεινε.* Quae omnia contra Lacedaemonios eorumque socios geruntur prope Oenoam Argivam in radice montis Artemisii. Phliasia autem secundum Strabonem VIII, 382 regio est, ut pugna in Phliasia dici potuerit ad Oenoam esse commissa. — Ante hoc tempus factum videtur Minervae Alipherae signum in Arcadia ab Hypatodoro (Polyb. IV, 78 Hecatodorum dicit, sed cf. Paus. VIII, 26, 4) et Sostrato, quem Chium Pantiae patrem fuisse certe nihil est quod repugnet. Quae cum ita sint, retinendum est, quod initio proposuimus stemma, ut, quorum artificum notitia iam Pausaniae temporibus videtur defuisse, inter Ol. 80—90 ponendi sint.

De antiqua arte quaestiones difficillimae cum sint absolutae, restant, antequam ad Phidiam perfectae artis principem progredimur, nonnulla, quae uno capite congesta supplemento sint iis, quae antea sunt disputata.

Epiphyllides.

Glaucum Chium, *qui primus ferri inter se glutinum excogitavit et iunxit* (Euseb.), ob Alyattae donarium Delphos dedicatum huic potius aequalem cum Muellero arch. §. 61, quam cum Silligio secundum Eusebium iam Ol. 22 floruisse puto.

Learchum Rheginum alii discipulum putarunt Dipoeni et Scyllidis, alii Daedali αὐτοῦ, cuius discipuli erant Dipoenus et Scyllis: Paus. III, 17, 6; cf. Welcker. annal. veteris artis p. 276, qui tamen cur Dipoenum et Scyllidem Daedalidas diversos putet a Croesi aequalibus, causam non video. A quorum societate avulserunt Learchum Thierschius p. 47 et Silligius (quamquam sibi non constans, cf. Dipoenus) et licet paulo recedens ab illis Muellerus §. 70 ob opus quod fecit Spartae σφυρήλατον. Sed cur non potuit etiam post inventam aeris fundendi artem tale opus factum esse?

De Bathycle probo Welckeri disputationem in annal. vet. art. p. 283.

Libonem Eleum, templi Iovis Olympici architectum, ad Ol. 84 referre vult Silligius. Sed cum e praeda Pisaeorum, qui Ol. 50 victi sunt, esset aedificatum, multo priore tempore inchoatum, Iovis signum, fastigiorum statuas postea demum addita esse puto, ut in Delphico templo, quod circa Ol. 60 inchoatum post Ol. 80 statuis ornatum esse constat (cf. Welcker. Mus. Rhen. 1841. I. p. 17). Ol. enim 80, 4 templum sine ornamentis exstructum fuisse, e clypeo aureo concludo, qui ob pugnam Tanagraeam dicatus in summo erat templi fastigio. Paus. V, 10, 2.

Arcesilaum statuarium ante Ol. 78, 2 vixisse e Si-

monidis carmine statuae eius inscripto certum est. Cui eidem tempori cum tribuendus videatur Arcesilaus pictor Parius cum Polygnoto a Plinio coniunctus, in eo offendit Silligius, quod eum Apellis praeceptorem dictum esse ab Athenaeo X, p. 420 D putat. Sed festivus is error. Arcesilaus enim philosophus bibendo clarus (cf. Diog. Laërt. IIII, 45) in bibendo Apellis praeceptor, non in pingendo pictor ibi commemoratur; quare Aridicus quoque ex artificum numero eximendus est. Tempus autem cum idem videatur statuarii et pictoris, idem uterque videtur fuisse, cum illo tempore permultos utraque arte claros fuisse memoriae traditum sit.

Dionysium Plinii XXXVI, 5, 35 ab Argivo diversum esse statuit Silligius (apud quem addendum, decem annis post Anaxilae mortem Tegeam secessisse Micythum), quia: *cum Dionysius Argivus floreret, ars marmoris sculpendi nondum adeo perfecta fuit, ut Octavianus statuam illo tempore factam in templo a se dedicato poneret.* Cui opponere placet Plinii verba XXXVI, 5, 13: *Romae signa eorum* (Bupali et Athenidis, qui Ol. 60, multo ante Dionysium Argivum vixerunt) *sunt in Palatina aede Apollinis in fastigio et omnibus fere, quae Divus Augustus fecit.* Aliis igitur argumentis sententiam suam firmet Silligius.

Antiphili, Pothaei, Megaelis opus fuit Olympiae Carthaginiensium thesaurus. Praeter quem nullum memoratur eorum donarium in tota Graecia. Praeterea cum non videam quid eos ut Olympiae thesaurum exstruerent commovere posset, in eo ipso vero nihil esset nisi Gelonis donarium de victis Carthaginiensibus, Carthaginiensium thesaurum dictum puto, quod ex eorum praeda erat exstructus a Gelone; unde architecti aequales ei habendi sunt.

De Phidia.

Quae ab aliis iam recte constituta sunt exponere quoniam alienum est ab harum commentationum fine, significare satis

habeo: Phidiam Minervae signo ex auro et ebore confecto Ol. 85, 3, Athenis Elidem se contulisse indeque Iove facto Athenas reversum in vinculis obiisse publicis Ol. 87, 1. Quod cum maxime post Muelleri sagacitatem inter omnes nunc quantum scio constet, nondum est confecta lis de anno, quo natus sit Phidias quoque artem exercere inceperit, statuente Muellero circa Ol. 73 natum sub Ol. 80 primum artem exercuisse; Thierschio p. 113 sqq. iam Marathonii proelii tempore clarum fuisse. Mihi quidem, ut proponam quod iam demonstraturus sum, medio inter utrumque loco, quod verum sit, positum videtur. Et quae contra Muellerum monenda sunt, breviter repetere tantum opus est, quoniam copiosius ea exposuit Thierschius. Primum enim Ageladam Ol. 79 Athenas venisse et tunc institutione eius usum esse Phidiam, mera est coniectura, cui aliam posse opponi, supra sb. Ageladas docui (aliam vide infra). Idemque dicendum est de Polygnoto, quamquam nihil confirmat coniecturam Muelleri §. 4 censentis in pingendo praeceptore usum esse Phidiam Polygnoto. Ceterum quod ad Phidiam pictorem attinet, Plinii verba haec sunt XXXV, 8, 54: *cum et Phidiam ipsum initio pictorem fuisse tradatur, O l y m p i u m que Athenis ab eo pictum*; ubi cum in codice Bambergensi omnium optimo pro O l y m p i u m sit c l y p e u m, assentiente Monacensi et editione principe, non video cur reiecerint hanc scripturam et Silligius et L. de Ian. Aptissimam enim explicandi rationem praebent verba quae statim sequuntur: *Panaenum, qui clypeum intus pinxit Elide Minervae.* Nam quod Minervae nomen apud Phidiam non est additum, facile possumus Plinio condonare. Contra si de clypeo intelligimus, optime explicari potest, quod Plinius dicit: tradi, famam esse Phidiam pinxisse. Iam enim non exstabat pictura, quam memoravit Plinius, sed fortasse tempestate corrupta non ita multo post locum concessit caelato operi, quod ad lineas Parrhasii confecit M y s, Paus. I, 28, 2., unde eae quoque evanescunt difficultates, quae de huius erant tempore. Haec de pictore.

Deinde recte observavit Thierschius, obstare posteriori Phidiae tempori, quod in clypeo Minervae chryselephantinae, si vocabulo uti licet, senem se calvum finxerit. Nam de quinquagenario id intelligere mirum videtur, quamquam de octogenario nihil nos cogitare cogit. Deinde in eo quoque assentiendum est Thierschio, quod de Pantarcis amore disputavit. De furore enim amoris posteriores et christiani tantum scriptores retulerunt, quorum intererat Graecorum mores detrectare. Iuvenem autem pulchrum sive ob amorem sive aliam ob causam si in Iovis solio finxit Phidias, nihil in ea re per se est turpe nec alienum a senili aetate. Denique quod perfectissimum opus paucis ante mortem annis senili aetate confectum esse a Phidia non posse censet Muellerus, nullam vim habet apud Graecos ob alia exempla permulta.

Quae cum omnia recte sint disputata a Thierschio contra Muellerum, in aliis tamen ipse ab eo poterat edoceri. Recte enim impugnavit Muellerus, quae de donariis e praeda pugnae Marathoniae a Phidia factis traduntur, male quidem hoc allato argumento, non factam esse praedam hac pugna, contra Plutarchi testimonium Arist. 5 referentis Aristidem cum tribu relictum esse prope Marathonem ad custodiendos captivos et spolia *χύδην μὲν ἀργυρίου καὶ χρημάτων ἄλλων ἀμυθήτων ἐν ταῖς σκηναῖς καὶ τοῖς ἡλωκόσι σκάφεσιν ὑπαρχόντων.* Herodoti enim silentium minus curandum videtur, cum non solum de praeda, sed de omnibus quae statim post pugnam Athenis gesta sint, de sacrificiis, aliis taceat. Tamen merito suspicionem movet, quod ad Marathoniam pugnam sex eaque maxima donaria referuntur. De quibus singulis quamquam multa disputare licet, iuvat statim proponere unam rationem, quae ad omnia eodem modo pertinet. Nempe depravavit historiae fidem loquendi usus, ut si quae ad Marathoniam pugnam referuntur, semper quaerendum sit, utrum ad ipsam pugnam an ad totum omnino Persicum bellum referenda sint. Quod paulo accuratius est demonstrandum. Et hunc quidem usum non sero invaluisse iam Aeschylus docet notante ipso Pausania I, 14, 4

in epigrammate sepulcrali (Anthol. Pal. II. p. 748) non Salaminiam sed Marathoniam pugnam memorans. Iam non ita multo post apud Aristophanem e populi loquendi usu haurientem fere nunquam Salaminiae pugnae mentio fit, constanter et saepissime Marathoniam pugnam, Marathonios milites, Marathonium tempus de bello Persico omnino dicta invenimus. E Pausania vero ipso, ut luculentissimo demonstrem exemplo tunc quoque illum usum invaluisse, affero quod dicit I, 17, 6, Thesei templum aedificatum esse ὕστερον ἢ Μῆδοι Μαραθῶνι ἔσχον, quamquam ipse accuratius definit post Persica bella (Ol. 77, 2) id factum esse: Κίμωνος τοῦ Μιλτιάδου Σκυρίους ποιήσαντος ἀναστάτους. Quibus accedit I, 14, 4: φρονῆσαι δὲ Ἀθηναίους ἐπὶ τῇ νίκῃ ταύτῃ μάλιστα εἰκάζω. Pausanias autem cum ex populi, exegetarum, si vocabulo uti licet, ore acciperet, quae nobis tradidit, iam per se verisimile est hunc vulgarem usum depravasse Pausaniae fidem idque confirmatur singulorum exemplorum natura. (De quibus cf. Mueller. §. 9 sqq.). Nam si Pausanias refert, Minervae Areae templum esse aedificatum e praedae Marathoniae parte, quam Athenienses Plataeensibus tribuissent, eius auctoritas exaequatur Plutarchi testimonio, qui Arist. 20 octoginta talenta ἀριστεῖον Plataeensibus data esse refert de Plataeensi pugna, e quibus templum, picturae, deae signum sint comparata. Deinde aureos clypeos Delphicos male referri ad Marathoniam pugnam epigramma docet eis inscriptum apud Aeschin. in Ctes. p. 70 (507 R.): Ἀθηναῖοι ἀπὸ Μήδων καὶ Θηβαίων ὅτε τἀναντία τοῖς Ἕλλησιν ἐμάχοντο, ubi Thebani de Marathonia pugna cogitari vetant. — Ad Minervam porro aeneam Atheniensem quod attinet, neque in ea sibi constabat fama. Demosthenes enim de falsa legat. p. 428 quamquam oratorio modo ἀριστεῖον dicit, praedae pars quae erat dicenda; dicasse eam refert urbem ἀριστεῖον τοῦ πρὸς βαρβάρους πολέμου (cf. adv. Timocr. p. 74, adv. Androt. p. 597). Scholiasta vero ad Aristidem p. 104 Frommel. dicatam dicit μετὰ τὸν Περσικὸν πόλεμον. — In commemoratione deinde thesauri Atheniensium Delphici

et templi Eucleae quod erat Athenis plane in universum loquitur: X, 11, 4 *ἀπὸ τῶν ἐς Μαραθῶνα ἀποβάντων*, I, 14, 4 *ἀπὸ Μήδων οἱ τῆς χώρας Μαραθῶνι ἔσχον*, in quod dicendi genus optime quadrat, quod supra attuli. Unum tantum donarium restat Delphis positum, quod Marathoniae victoriae sacratum fuisse Miltiadis statua docet. De quo vide infra. Accedit ad ea quae de Pausaniae auctoritate dixi, quod nec Minervae Areae neque Eucleae templum aedificatum, nec Minervae statua aenea posita esse potest ante pugnam Plataeensem ob eversas et spoliatas a Xerxe Plataeas et Athenas.

Quae cum ita sint, nostro iure videmur impugnare posse Thierschii sententiam, qui statim post Marathoniam pugnam exercuisse artem contendit Phidiam. Nam licet largiamur non proximo post pugnam anno in Minerva aenea operam eum posuisse, tamen ad hoc tempus deducat Pellenense signum ante Atheniense factum, quo nescio an supervacanea fiat Muelleri coniectura, A t h e n i s Ageladae institutione usum esse Phidiam. Primum enim opus, quantum quidem scimus, cum extra patriam in Peloponneso esset positum, institutus quoque esse potuit extra patriam in Peloponneso Phidias. Reputanti autem mihi, quod Minervae Areae templum e Plaetaeensis pugnae praeda, aeneam Atheniensem statuam belli Persici universi memoriae dicatam esse verisimile est, non improbabili me puto coniectura concludere posse: P h i d i a m s u b Ol. 70 n a t u m c i r c a S a l a m i n i a e p u g n a e t e m p u s a r t e m e x e r c e r e i n c e p i s s e. Plataeense enim signum non primis post pugnam annis tribuendum videtur, cum antequam poneretur templum esset aedificandum. Nec Athenienses aeneae Minervae curam habuisse probabile est, antequam urbs esset restituta. Delphicas autem statuas a Phidia factas non statim post Marathoniam victoriam positas esse ex illo ipso Miltiadis signo concludo. Non enim verisimile est Athenienses eum statua honorasse, quem non ita multo post Marathoniam pugnam in vinculis tenebant publicis. Quare ei potius tempori tribuendae hac statuae videntur, quo Cimone Miltiadis filio

summa apud Athenienses auctoritate pollente, in ipsa quoque Athenarum urbe pictus est in poecile porticu a Panaeno Miltiades. Conciliari autem optime cum hoc tempore potest, quod in scuto Minervae chryselephantinae πρεσβύτην φαλακρὸν se finxit, sexaginta tunc et nonnullos annos natus. Polygnoti vero et Onatae tempus, quibuscum una occupatus erat in Plataeensi templo exornando, quam maxime convenire, ex eo apparet quod de Onata supra attuli, de Polygnoto ob poecilen et Theseum pictum constat. — Denique cum in quaestionibus tam difficilibus viri in litteris insignis assensus augeat fidem, scias hanc quam firmare conatus sum sententiam in scholis proposuisse Welckerum, praeceptorem dilectissimum, quamquam copiosius cum exposuisse rationes non memini.

De Phidiae discipulorum temporibus fere nihil dicendum est. Nam de Agoracrito, Colota, in Iove faciendo Phidiae adiutore, Paeonio Mendaeo, qui, si Messeniorum donarium (Paus. V, 26, 1) ro vera de Lacedaemoniis in Sphacteria Insula captis positum erat, post Ol. 88, 4 superstes erat, nihil omnino innotuit, unde tempus accuratius possit definiri. Alcamenem post Ol. 94, 2 superstitem fuisse e Thrasybuli signis ob liberatam a tyrannis patriam Thebis positis (Paus. VIIII, 11, 4) recte concluditur. Theocosmum Megarensem, qui adiutore Phidia Iovis signum inceperat, Ol. 93, 4 supertitem fuisse e signis de Aegospotamensi victoria positis certum est.

Quare transeundum nunc ad Phidiae aequalem et in arte aemulum.

De Polycleto.

Quod de Agelada contenderat Thierschius: fuisse duos eiusdem nominis artifices, alterum Argivum alterum Sicyonium, idem de Polycleto statuit prorsus eodem modo Sicyonium et Argivum secernens. Qua in re quamquam fere neminem video assentientem (praeter Ross. archaeol.), tamen

neminem dum omni ex parte eum refellisse inveni. Silligius enim aliqua ex parte tantum eum impugnare potuit, cum in secunda demum epocharum editione, quae prodiit post catalogum, copiosius de Polycleto locutus sit Thierschius. Quare denuo eum impugnare supervacaneum non videtur. Et Thierschius quidem in causa sua defendenda veterum scriptorum auctoritatem sibi vindicare vult. Quod quo iure possit, iam videndum est. Sicyonium dicit a Plinio, Argivum a Pausania, aliis appellari. Iam si hanc ob causam duos fuisse Polycletos sumamus, quantas in difficultates incurramus Silligius vidit. Primum enim dubitationem movet, quod Argivi per totam antiquitatem celebratissimi ita nullam mentionem Plinius faciat; deinde magis etiam nos offendat oportet, quod Pausanias duorum illorum rationem non habet, cum alia ratione duos, Argivum utrumque, disertis verbis seiungat. Utriusque igitur Poycleti cum neuter scriptor mentionem faciat, accedit quod argumentandi artificio opus est Thierschio. Nam cum ob veterum testimonia negare non possit, ab Argivo factam esse Iunonem Argivam, de clarissimo autem illo Plinium agere concedat, omnia opera quae Sicyonio tribuit Plinius, ei sunt detrahenda, ut nullum sit reliquum, quod certo ei tribuamus.

Hae igitur summae dubitationes cum obstent Thierschio, non magis temporum ratio ei succurrit. Quod enim Ageladae aetatem obstare dicit, id nihili esse supra demonstravimus. Artificiosius deinde retrahere conatur Polycleti aetatem eo quod, ubi de Telephane sermo est, qui *se regum Xerxis atque Darii officinis dedidit*, Plinius XXXIIII, 8, 68 in comparatione ante Myronem et Pythagoram ponat Polycletum. Idem enim ibi facit, ubi (init. cap.) enumerans artifices clarissimos Olympiadi 90 Polycletum assignat. Quare si ex illis verbis Polycletum Dario fuisse aequalem contendit, idem de Myrone et Pythagora faciat oportet, quamquam eodem iure quo illud Thierschius, cum Darii nomen post Xerxem positum sit, Darium Nothum significatum esse, contendere quis possit.

Quae cum ita sint, accedendum est ad ea argumenta,

quae e Plinii de artis Polycleti iudicio hausta sunt. In quibus vix satis caute agere possumus, cum corruptissima esse Plinii verba cum omnia tum haec quoque notum sit (cf. Sillig. v. Polycletus). Certe obscura est sententia horum Plinii verborum: „*Hic consummasse hanc scientiam iudicatur et toreuticen sic erudisse ut Phidias aperuisse.*" Quaenam enim sit illa scientia, ex antecedentibus concludere non licet; nisi, quia hoc libro de iis agitur, qui aere fundendo clari fuerunt, de aeris fundendi arte intelligere velis. Sed tamen mirum videtur Plinium Iunonem Argivam, celeberrimum Polycleti opus, ne verbo quidem significasse, nec ullam chryselephantinae artis mentionem fecisse. Quod suspicionem movet, aut intercidisse aut Plinii negligentia omissam esse huius artis mentionem, ut haec sit illa quam consummaverit Polycletus scientia. Quod confirmat Strabonis de ea iudicium (VIII, 372). Quod enim de toreutica arte dicit Plinius, ad chryselephantinam non pertinet. Quod hoc loco demonstrare (quamquam cum Plinius ipse de duabus artibus diserte loquatur, demonstrare ne opus quidem est) eo libentius omitto, quoniam hunc viris doctis errorem se ademturum professus est Welckerus. (Ceterum cf. Mus. Rhen. 1834. II, p. 486.) In toreutica autem arte, i. e. in auri et argenti caelatura non parvam fuisse Polycleti gloriam docent Martialis verba iam a Boettigero (Andeut. p. 128) laudata, VIII, 50:

Quis labor in phiala? docti Myos anne Myronis?
Mentoris haec manus est, an Polyclete, tua?

(Quae ibidem affert Iuvenalis III, 217; VIII, 102, non quadrant.)

Non possum quin hac occasione oblata tertium Sillígii Polycletum ex artificum numero expellam. Tertium enim eum dicit, *qui vel Persarum regi alicui vel Perseo regi Macedoniae lucernam fecit* [τῷ Πέρσῃ], *ob quam in magno honore habitus est.* Quae sola τοῦ Πέρσου commemoratio cum me non commoveret, ut tertium inferrem in historiam Polycletum, accuratius inspexi verba, quae de lucerna illa sunt apud Athenaeum V, 206 E haec: *Moschion scribit:* Διοκλείδης μὲν ὁ

Ἀβδηρίτης θαυμαζέτω (ita correxit Ritschelius de Marsya in indice schol. Vratisl. 1836. p. 12: *admirator*. Vulgo *θαυμάζεται*) ἐπὶ τῇ πρὸς τὴν Ῥοδίων πόλιν ὑπὸ Δημητρίου προςαχθείσῃ τοῖς τείχεσιν ἑλεπόλει, Τίμαιος δ'ἐπὶ τῇ πυρᾷ τῇ κατασκευασθείσῃ Διονυσίῳ τῷ Σικελίας τυράννῳ, καὶ Ἱερώνυμος ἐπὶ τῇ κατασκευῇ τῆς ἁρμαμάξης, ᾗ συνέβαινε κατακομισθῆναι τὸ Ἀλεξάνδρου σῶμα, Πολύκλειτος δ'ἐπὶ τῷ λυχνίῳ τῷ κατασκευασθέντι τῷ Πέρσῃ. . . Quae verba primum non intelligebam. Quid enim inter rerum scriptores Polycleti nomen? De qua difficultate quid censendum sit, docent Athenaei verba XII, 539: *Πολύκλειτος δὲ ὁ Λαρισσαῖος ἐν τῇ ὀγδόῃ τῶν ἱστοριῶν καὶ ἐπὶ χρυσῆς κλίνης κοιμᾶσθαί φησι τὸν Ἀλέξανδρον.* (Saepius memoratur a Strabone.) Polycletus igitur Larissaeus, qui de rebus Alexandri Magni videtur scripsisse, memoravit Persae lucernam, non clarus fuit ob lucernam Polycletus caelator.

Sed haec in transcursu tantum, cum ad Polycleti tempus constituendum non pertineant. Verba autem Plinii quae offendunt Thierschium haec sunt (XXXIIII, 8, 56):

I. *Proprium eius est, ut uno crure insisterent signa excogitasse.* Quod *excogitasse* non convenire Polycleti Argivi aetati dicit Thierschius, sed temporibus multo antiquioribus, artificibus Canacho, Ageladae aequalibus. Exemplo esse vult Apollinem Musagetam Monacensem, qui Phidia antiquior uno crure insistat. Quem multo posterioris, fere Romanae aetatis esse certum videtur, licet grave et severum artis genus sectatus sit in eo artifex. Sed utamur oculis nostris, examinemus illa artis opera, quae ad Polycleteorum similitudinem confecta videntur, doryphorum, diadumenum: iam dubitare non poterimus quomodo sit intelligendum illud „uno crure insistere."

II. *Quadrata tamen ea esse tradit Varro.* In quibus verbis explicandis mirum in modum se torserunt interpretes, quamquam nihil videtur facilius ad explicandum. Quid enim sibi velint, e Plinii de Lysippi arte iudicio apparet §. 65: *Non habet latinum nomen symmetria, quam diligentissime cu-*

stodirit, nova intactaque ratione q u a d r a t a s v e t e r u m s t a t u r a s p e r m u t a n d o. Quae mutatio sic facta est: *capita minora faciendo, quam antiqui, corpora graciliora sicciora-que, per quae proceritas signorum maior videtur.* Quadrata igitur sunt Polycleti signa, si cum Lysippo comparantur, qui *vulgo dicebat ab illis factos quales essent homines, a se quales viderentur esse.* (Incuriae tamen accusandus est Thierschius, quod prorsus neglexit, quae attulit Silligius: deesse *quadrata* vocabulum in codicibus; quamquam non esse eiiciendum docuit codex Bambergensis, cui assentiuntur Gelenii libri.)

III. *Et paene ad unum exemplum.* Enumeratis enim operibus Thierschius suavissima varietate ea omnia confecta dicit. Id ipsum est, quod Plinius vult, quod in sola suavitate variaverit Polycletus. Idque mirum in modum confirmat Quinctiliani iudicium XII, 10: *ne nihil detrahatur,* d e e s s e p o n d u s *putant. Nam ut humanae formae addiderit supra verum, ita non explesse deorum auctoritatem videtur. Quin aetatem quoque gravem dicitur refugisse,* n i h i l a u s u s u l t r a l e v e s g e n a s. Quare cum sint complura genera, in quibus elaborandum est artifici, Polycletus in uno tantum variavit, suavitatem iuvenilis aetatis in omnibus operibus tamquam unum exemplum sectans.

IIII. In auxilium vocat Thierschius Plinii de Myrone verba haec (l. l. §. 58): *Primus hic multiplicasse veritatem videtur, numerosior in arte, quam Polycletus et in* (om. in vett. editt.) *symmetria diligentior.* In quibus verbis primum falso intellexit Thierschius, ut multi alii, *numerosior* vocabulum. Dicit enim e Graeco εὔρυθμος translatum esse. Ego vero dico, ex eo scriptore quem tractamus ipso, si fieri potest, ipsius dicendi genus definiendum esse. Quare primum repeto Silligii verba p. 285: *Plinius de Lysippo loquens dicit: „non habere Latinum nomen symmetriam;“ sed quid „numerus“ illa explicatione probata aliud est quam symmetria?* Deinde autem inquiro, qua significatione uti soleat Plinius *nu-*

merosus vocabulo. Et de Antidoto XXXV, 11, 130 dicit: *ipse diligentior, quam* **n u m e r o s i o r.** Sed nonne cernitur in εὐρυθμίᾳ, συμμετρίᾳ diligentia? Apte contra se habent ita verba: „diligens in eis quae fecit, sed ea non permulta, varia erant.“ Deinde de Pausia Sicyonio (l. l. §. 125): *ad* **n u m e r o s i s s i m a m** *florum veritatem perduxit artem illam* (coronarum pingendarum). Denique de Aristophonte §. 138: **n u m e r o s a q u e** *tabula, in qua sunt Priamus, Helena, Credulitas, Ulixes, Deiphobus, Dolon.* Quibus exemplis allatis iam neminem puto cogitaturum esse de εὐρυθμίᾳ Myronis hoc vocabulo significata. In reliquis quidem verbis destituimur librorum testimoniis. Ut sunt in libris, iis uti non possumus. Sed quoniam tam bene omnia in unum Polycletum quadrant, iam non dubito ad coniecturam confugere, quam quod desperantis esse dicit Thierschius, non curo. Nam cum desperantis esse in scriptore plane emendato, qualis est nullus, videri possit, licet profecto coniicere in scriptore, de cuius emendatione nobis prope desperandum sit. Quare cum recenseo virorum doctorum coniecturas, praeter reliquas mihi placet ea quam in scholis proposuit Welckerus: **n u m e r o s i o r i n a r t e , q u a m i n s y m m e t r i a d i l i g e n t i o r.** Interpolator enim quidam post *quam* desiderans nomen artificis, qui cum Myrone compararetur, e Plinii de Polycleto verbis *paene ad unum exemplum* Polycleti nomen arcessivit, non animadvertens quam essset Pliniana oratio nomine omisso. Ut enim, quod supra attuli, dicit ***diligentior quam numerosior***, ita hic ***numerosior quam diligentior.***

Nihil igitur cum supersit, quo defendatur Thierschii opinio, iam Plinio largiamur, Sicyone oriundum fuisse Polycletum, nobis sumamus et institutum esse in arte et exercuisse eam Argis. In quo eo minus est quod miremur, cum et affinitate et amicitia et quam maxime artium scholis antiquitus coniunctas videamus has civitates. De duobus igitur Polycletis si loquimur, de iis tantum cogitandum est, quos discernit Pausanias, utroque Argivo, altero Ageladae, altero Naucydis discipulo, maioris fortasse nepote. Quorum opera omnia quam-

quam certo inter eos distribui non possunt, de nonnullis tamen confidentius loqui licebit. Et apud Plinium quae enumerantur, videntur omnia maiori tribuenda. Ex eis autem quae Pausanias describit, praeter Iovem Philium Megalopolitanum (sed cf. Sillig. p. 362), Alcibiadem, Agenorem Thebanum, Venerem Amyclaeam, quae iam Silligius minori assignavit (de Proserpina Argiva cf. infra Periclytum), certis argumentis duo ei sunt vindicanda opera: 1) Antipatri Milesii pugilis statua (Paus. VI, 2, 4), cui cum legati Dionysii, Syracusarum tyranni, persuadere conati sint, ut Syracusanum se renuntiaret, vicisse eum post Ol. 93, 3 certum est, quo anno tyrannidem occupavit Dionysius: ut statua a Polycleto maiore confici non potuerit; 2) Iovis Milichii quod erat Argis signum. Nam cum Peloponnesiaco bello Argivi elegissent mille e civibus nobilissimis, qui perpetuo arma gererent (Thuc. V, 67; Diodor. XII, 75), a populo sunt oppressi, quod imperium peterent. Idque factum esse Ol. 90, 3 narrat Diodor. XII, 80. Quod idem ubi retulit Pausanias II, 20, 1, pergit: *ὕστερον δὲ ἄλλα τε ἐπηγάγοντο καθάρσια, ὡς ἐπὶ αἵματι ἐμφυλίῳ καὶ ἄγαλμα ἀνέθηκαν Μειλιχίου Διός.* Quare hoc quoque opus ob tempus videtur tribuendum minori. Quod marmoreum opus si dandum est minori, unum tantum marmoreum restat (Paus. II, 24, 6): Apollinis, Dianae, Latonae statuae in Lycona monte positae. Quod opus c e r t a ratione neutri potest vindicari. Sed cum minorem sciamus marmorea fecisse, de maiore nil innotuerit, fortasse ob id ipsum minori est tribuendum, ut maiorem marmore omnino abstinuisse verisimile sit.

De Polycleti discipulis quae dicenda sunt, inserere praestat ei capiti quo agendum est:


De artificibus qui sub Peloponnensiaci belli finem floruerunt.

In donariis ob victoriam Aegospotamensem Delphis et Amyclis dedicatis una erant occupati itaque paulo post Ol. 93, 4 artem exercebant:

1. Tisander,	5. Alypus,	9. Polycletus II,
2. Athenodorus,	6. Antiphanes,	10. Aristander,
3. Demeas Clitorius,	7. Piso,	11. Theocosmus.
4. Canachus II,	8. Patrocles,	

(Paus. X, 9, 4; III, 18, 5. Theocosmus non habuit quidem partem operao, sed voluit habere, ergo vixit). Et de 1 et 10 nihil, de 2, 3, 4 id tantum innotuit discipulos fuisse eos Polycleti Argivi, Canachum etiam Ol. 95 vixisse: Paus. VI, 13, 4; Plin. XXXIIII, 8, 50. Qui praeterea ibi nominantur discipuli, nusquam alibi memorantur. Post Canachum (sed quando, incertum) vixit Asterio, Paus. VI, 3, 1. Canachus enim Bycelum fecit, qui primus Sicyoniorum pugil puer vicit, Paus. VI, 13, 4; Chaereae statuam, item Sicyonii pugilis pueri Asterio. — Antiphanes deinde Periclyti, Alypus et Polycletus Naucydis discipuli erant, unde iam ad quaestionem de his Polycleti I discipulis instituendam deducimur. In qua initium est faciendum a vexatissimis Pausaniae verbis II, 22, 8: *τὸ μὲν Πολύκλειτος ἐποίησε, τὸ δὲ ἀδελφὸς Πολυκλείτου Ναυκύδης Μόθωνος.* Ita enim post Thierschium Silligius et Schubartius cum Walzio. Sed non videtur in hac scriptura acquiescendum. Recte enim, licet repugnante Thierschio p. 284, Muellerus annal. Vindob. XXXVIIII. p. 131 animadvertit, verisimilius Periclyti fere ignoti nomen a librariis mutatum esse in Polycleti notissimum, quam Polycleti in Periclyti. Itaque ut dicam quod sentio, malo sequi Muellerum haec proponentem: *τὸ μὲν Περίκλυτος ἐποίησε, τὸ δὲ ἀδελφὸς Περικλύτου Ναυκύδης Μόθωνος* (aliter archaeol. p. 97), ut etiam priore loco Periclyti minus noti nomen repulsum sit a Polycleto, qui

altero quoque loco paene superaverat. Quam coniecturam ut accipiam id valde me movet, quod in aliis verbis VI, 6, 1: *Πολύκλειτος δὲ Ἀργεῖος, οὐχ ὁ τῆς Ἥρας τὸ ἄγαλμα ποιήσας, μαθητὴς δὲ Ναυκύδους*, discipulum quidem Naucydis, sed non fratrem dicit Polycletum, ubi plurimum intererat Pausaniae hoc addere, si cognitum habuerat. Unde hoc stemma prodit:



His constitutis de singulis brevissime agi potest; de N a u c y d e enim et eius discipulis nihil addendum, nisi Plinium Olympiadi 95 tribuere Naucydem, qua Olympiade aetate iam provectior fuisse putandus est, cum ante eam discipuli artem iam exercerent.

Paulo plura dicenda sunt de A n t i p h a n e Periclyti discipulo. In cuius operibus recensetur Argivorum donarium de victis ad Thyreas Lacedaemoniis dicatum, Paus. X, 9, 6. Quod ad bellum illud iam ab Herodoto I, 82 commemoratum (Ol. 58) a viris doctis est relatum. Nimirum illius belli memoria obscuraverat alius pugnae famam iam apud Pausaniam ipsum. Ol. enim 91, 3: *Ἀργεῖοι ἐσβαλόντες ἐς τὴν Θυρεᾶτιν ὅμορον οὖσαν λείαν τῶν Λακεδαιμονίων πολλὴν ἔλαβον, ἣ ἐπράθη ταλάντων οὐκ ἔλασσον πέντε καὶ εἴκοσι*, Thuc. VI. 95. Ad hanc igitur victoriam donarium est referendum, quod ab Antiphane aut statim post pugnam aut, si nimis videtur produci eius aetas, post bellum finitum erat factum. Non minus falso aliud Antiphanis opus refertur ad victoriam multis annis a donario remotam: Tegeatarum de Lacedaemoniis quod Delphis erat positum, Paus. X, 9, 3. Cuius operis tempus si fere recte constituit Muellerus annal. Vindob. XXXVIIII, p. 132, casu id factum est et ob rationem prorsus falsam.

Erravit enim cum post Ol. 103, 4 hoc donarium factum esse statuit ob Triphyli statuam, quoniam hoc demum anno Triphylia Arcadiae esset assignata. Diodorus enim XV, 77 narrat, Eleos tunc Arcadibus denuo eripere Triphyliam conatos esse nullo successu; cf. Xenoph. Hell. VI, 5, 2. Contra iam Ol. 94, 4 Elei a Lacedaemoniis iussi sunt Triphyliae libertatem reddere, eaque Ol. 95, 2 conditio erat pacis: Xen. Hell. III, 2, 23; Diod. XIIII, 17; Paus. III, 8, 2 init. et fin. — Inde igitur cum ad Ol. 95, 2 reiiciamur, rursus ad Ol. 102, 4 deducimur Tegeatarum de Lacedaemoniis victoria reportata teste Diodoro XV, 62, cll. 59. Hoc igitur tempore superstitem fuisse Antiphanem statuendum est, simul autem Ol. 103 assignandi sunt P a u s a n i a s A p o l l o n i a t a, D a e d a l u s S i c y o n i u s, S a m o l a s A r c a s, Antiphanis in donario faciendo socii. Cuius discipulus C l e o iam Ol. 98 artem exercuit, praeceptore diu superstite, cum faceret Iovis statuam e multa, quam ludorum Olympicorum arbitri Eupolo eiusque sociis imposuerunt hac ipsa Olympiade; Paus. V, 21, 2. Ol. 102 artem eum exercuisse quamquam verisimile est, tamen id si e Dinolochi statua (Paus. VI, 1, 2) concludit Silligius, demonstrari hoc nequit. Nam Dinolochum Troili fratrem fuisse, qui vicit Ol. 102, in Pausaniae verbis non inest, nec probabile videtur, cum Troilus esset ludorum arbiter, ergo aetate provectior, Dinolochus vinceret inter pueros. Neque eadem Olympiade utrumque vicisse e Pausaniae verbis ullo modo constat; cf. Krausii Olympia p. 266. — De P i s o n e quae tradit Pausanias VI, 3, 2, optime quadrant in tempus belli Peloponnesiaci finiti. Optime enim se habet hoc stemma:

Critius 75, 4 — Ptolichus (82) — Amphio (88) —
Piso 94 — Democritus (100).

De P a t r o c l i s aetate cum Pausania consentit Plinius XXXIIII, 8, 50 Olympiadi 95 eum tribuens, quo eodem tempore artem iam exercuit D a e d a l u s S i c y o n i u s eius discipulus, Eleis tropaeum erigens de Lacedaemoniis (cf. Sillig.). Quem 102, 4 superstitem fuisse, sub Antiphane vi-

dimus. Confirmatque hoc tempus, quod fecit Eupolemi (Ol. 96: Paus. VI, 3, 3; VIII, 45, 3; Afric.) et Aristodemi (Ol. 98: Paus. VI, 3, 2; Afric.) victorum Olympicorum statuas. — Et filium fuisse Patroclis Daedalum negandum videtur; cf. Schubart. et Walz. ad Paus. VI, 3, 2 et Schultz. in Iahn. annal. 1829 p. 78. Patrocles Crotoniata et Daedali praeceptor num idem fuerint, pro certo affirmare non licet.

Pythagoras Rheginus cum fecerit statuas Astyli, qui vicit Ol. 73, 74, 75; Dromei, Ol. 74, 76, 77 (cf. Krausii Olymp.), non video cur a Silligio Olympiadi 73, a Thierschio ipsi Olympiadi 70 tributus sit. Nam eum aequalis esset Myroni, Polycleto, non erat offendendum in iudicio Diogenis Laert. VIII, 25 de rhythmo et symmetria et Plinii de venis et capillis, XXXIIII, 8, 59. Neque erat quod Silligius Samium significatum esse a Plinio XXXIIII, 8, 49 putaret, cum §. 59 Rheginum coniungat cum Myrone, quem eidem Ol. 90 tribuit.

De Cresila, Ol. 91, 3 superstite conferatur Rossii commentatio in diar. art. 1840, p. 12. De Pyrrho et Stypaee eiusdem 37 et 38. De Apollodoro 12, de Aristonida 16. De eis qui Erechtheum ornarunt, 1836, 39, 40; 1840, 18. In quibus cum sit Πραξίας ἐν Μελίτῃ οἰκῶν, Calamidis hunc esse discipulum Rossius vult, qui statuas fecerit in fastigio Delphici templi cum Androsthene. Sed cum ante Ol. 89 perfectae eae videantur (cf. Welcker. Mus. Rhen. 1841, p. 15 sq.), Praxias autem mortuus sit in ipso opere, non videtur idem fuisse occupatus in Erechtheo, quod Ol. demum 92 perfectum est.

De artificibus, qui Ol. C—CXIIII floruerunt.

De his si pauca tantum dicentur, reputandum est, nonnisi de temporibus artificum hac commentatione agi. De operibus autem cum permulta sint tradita, ea ita sunt comparata, ut inde ad aetatem constituendam fere nihil redundet fructus. Victoriarum enim donaria, e quibus saepe constituimus tempus, rarissime commemorantur; victorum Olympicorum statuae a claris artificibus, quorum memoria superest, raro videntur factae. Nitendum est igitur Plinii rationibus, quae quamquam sat sanae videntur in hac aetate, tamen non obliviscendum, quantum ab illo sit erratum in Phidiae aequalium aetate; ut ubi alia adsint argumenta temporum constituendorum, iis uti malim. Libenter igitur utor eo testimonio, quod complures eosque clarissimos artifices in uno opere collocasse operam certiores nos facit: de Mausoleo loquor, quod exornatum est a Scopa, Bryaxide, Timotheo, Leochare, Pythide (Plin. XXXVI, 5, 30), quibus a Vitruvio (VII praef.) dubitante de Timotheo additur Praxiteles, Mausolo mortuo Ol. 106, 4 (cf. Amalth. III, 286; Diodor. XVI, 36), Artemisia 107, 2 nondum perfecto opere. Aequalium igitur horum artificum tempora singulorum, ut antea, ita pertractabimus, ut eis alios subiungamus. Primum igitur de S c o p a, quem, cum Tegeae templum Minervae aedificaret, quod deflagraverat Ol. 96, 2 (Paus. VIII, 45, 4), inde ab hoc tempore usque ad Ol. 108 vixisse recte statuit Silligius Amaltheae l. l. Qui si ibidem confirmari id putabat Ephesii templi historia, proposita apud Plin. XXXVI, 14, 95.: *caelatae coniectura Una Scopa operi praefuit Chersiphron*, ipse iam in editione Plinii eam non probat ob Chersiphronis tempus, meliusque erit sequi Winkelmanni coniecturam (Mon. ined. II, 271): *columnae caelatae uno e scapo.* — De B r y a x i d e nihil addendum nisi propter Seleuci statuam (Plin. XXXIIII,

8, 73) non necessario usque ad Ol. 117 (Sillig. p. 110; Ol. 119: Mueller. archaeol. p. 113) vixisse Bryaxidem, quia antequam rex esset factus Seleucus, statua poterat confici, quod de Lysippo recte statuit Silligius p. 263, siquidem recte se habeat inscriptio. — Leocharem (Ol. 102 secundum Plinium) etiam post Ol. 110, 3 vixisse cum e donario a Philippo ob Chaeronensem victoriam dicato recte constituerint viri docti, aliud testimonium attulit Rossius archaeol. §. 149, 2; 154, 4, unde sub ultimos Alexandri annos eum vixisse certum est. Fecit enim secundum Plutarchum (Alex. 40) cum Lysippo Alexandrum leonem interficientem, ad quod opus pertinere videtur, quod in Lysippeis recensetur a Sillgio vigesimum tertium. Unde prorsus aequalem fuisse Leocharem Lysippo intelligitur. Leochares enim cum Ol. 102 tribuatur a Plinio, Lysippum eodem fere tempore artem exercere incepisse statuendum est propter Troili statuam Ol. 102 victoris. — Leochari Sthennidem quoque aequalem fuisse, licet a Plinio Olympiadi 114 assignatus sit, Rossius docuit diar. art. 1840, 32: in una enim basi statuae erant positae utriusque artificis. Iam scimus e Strabone XII, 546 Sthennidem Sinopensibus fecisse Autolycum, ὃν οἰκιστὴν ἐνόμιζον. De Leochare autem Plinius §. 79 narrat, fecisse eum *puerum Autolycon pancration victorem, propter quem Xenophon Symposium scripsit.* Cui statuam positam esse, e Pausania scimus I, 18, 3; VIIII, 32, 5, qui artificis nomen omittit. Quem Autolycum cum Ol. circiter 90 vicisse consentaneum sit, ne quae de Leocharis aetate aliunde scimus evertantur, statuere sane licet posteriore demum Autolyci aetate statuam esse confectam. Sed in promptu alia quoque est coniectura: nomina esse confusa et una cum Sthennide operam posuisse in Sinopensi Autolyco faciendo Leocharem. — Nec de Praxitele Atheniensi post Silligium quidquam addendum. De Strongylione ei aequali (Paus. I, 40, 2) cf. p. 1 ann. — De Cephisodotis acquiescendum est in eis, quae Silligius attulit (cf. Ross. diar. art. 1840, 12. — De Polycle Atheniensi, quem opponi vult Sil-

ligius priori a Plinio sub Ol. 102 commemorato, infirmior videtur coniectura. Polyclis autem filios fuisse Timoclem et Timarchidem, e vocabulis Pausaniae X, 34, 4: *καὶ τοῦτο* recte suspicatur Muellerus annal. Vindob. XXXVIIII, p. 132. Plinius autem cum sub Ol. 156 commemoret Timoclem, Polyclis minoris filium eum puto, licet eidem Olympiadi tribuatur pater. — De Euphranore denique quaestionem ad pictorum tempora differre placet.

VITA.

Natus ego sum, Henricus Brunn, Woerlitiae oppidulo Anhaltino-Dessaviensi, a. d. X. Calendas Februarias anni MDCCCXXII, patre Henrico, sacrorum ibi antistite, matre Amalia Albertina e gente Lindstedt, quos parentes carissimos superstites adhuc veneror. Primis litterarum elementis in patriae schola, deinde a patre imbutus, cui maxime ob accuratam in latina lingua institutionem gratum publice testor animum, tredecim annos natus traditus sum et erudiendus et educandus Francisceo Servestano, quod Henrico Rittero directore floret. Quo in gymnasio quattuor annos et dimidium commoratus cum maturitatis testimonium rite impetrassem, philologiae operam daturus Bonnam me contuli consilio motus Caroli Sintenisii et Werneri, professorum Servestanorum, qui, qua benevolentia iam antea me amplexi sunt, eam mihi in ipso discessu testati sunt luculentissime. Huius enim almae litterarum sedis civibus adscriptus a G. A. Goldfussio, tunc Rectore Magnifico, IV. Non. Novemb. MDCCCXXXVIIII, nomen cum dedissem apud I. Plueckerum, tunc philosophorum ordinis decanum, illorum virorum epistolis factum est, ut summa reciperer benevolentia a F. Th. Welckero et F. G. Ritschelio. Quorum institutioni cum me inde ab initio plane dederem, accessit quod post sex menses sodalis adscriptus ordinarius seminario phi-

lologico arctiore etiam disciplinae vinculo cum iis coniungerer. Et quamquam post duos annos gratissima Welckeri et institutione et consuetudine frui iam non licere mihi dolebam, retinebat me tamen Ritschelii summa benignitas, cui utrique quales possim referre dignas gratias nescio. — Praeter exercitationes autem seminarii philologici, cuius honorarium sodalem nunc quoque me esse voluit Ritschelius, et Ritschelii et Welckeri scholas quas habuerunt omnes, interfui scholis habitis de rebus philologicis a C. L. Urlichsio, historicis ab I. G. Loebellio, de philosophia a Ch. A. Brandisio et I. H. Fichtio. Quibus viris omnibus facere non possum quin pro beneficiis in me collatis et benevolo erga me animo quam maximas gratias agam.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

---

1. *In critica arte malo errare via et ratione, quam sine ratione verum invenire.*

2. *Ineptiunt qui artem grammaticam ad sola philosophiae praecepta construendam iudicent.*

3. *Archaeologia quae dicitur pars est philologiae recte definitae.*

4. *Non evincitur artificum historia, floruisse artem in Graecia iam Olympiadum initio.*

5. *Apud Arrian. exped. Alex. VII, 13 pro Κίμωνος scribendum est Μίκωνος.*

6. *Apud Gregor. Nazianz. in diar. art. 1830 n. 84 pro Κάλαϊς scribendum est Κάλαμις.*

7. *Apud Paus. VI, 10, 2 νιωνοῖς vocabulo mutato in νιωνῷ omnia recte se habent; v. Krausii Olymp. p. 384.*

8. *Gruppii Theogonia Hesiodia non videtur esse Hesiodia, sed antiquissima Boeotica.*

9. *Male retinet Gruppius in theogonia sua versus 918—920.*

10. *In Sophoclis Aiace post v. 595 remanent in scena Aiax et Tecmessa.*

11. *Ibidem in oratione v. 646—692 non mentitur Aiax.*

12. *Ibidem v. 1309 τρεῖς vocabulum intelligendum est de Teucro, Agamemnone, Menelao.*